ALOIS. CHRYSOSTOMI FERRUCCI

CARMINA



FINGE LEGI, QUODQUE EST MIRABILE, FINGE PLACERE.

Ovid. de Ponto 1. 6.

PISAURI

EX OFFICINA NOBILIANA

AN. M. DCCC. XXXI.

Digitized by Google

ORDO CAPITUM

QUIBUS CARMINA CONTINENTUR.

I. VOTIVA.

II. HEROICA.

III. MORALIA.

IIII. EROTICA.

V. LUGUBRIA.

VI. OFFICIOSA.

VII. LUDICRA.

Digitized by Google

VOTIVA.

MARIÆ SALUTARI

lue grassante.

Diva, quam pleno veneramur anno
Tela præsentem cohibere Nati,
Siqua molitus capiti coruscat
Debita nostro:
Jure Panchæo tibi fumat ara
Igne; te pubes operosa ruris
Jure nimborum celebrat potentem, et
Grandinis atræ:
Ne fides hornæ segetis sub ipsa
Falce decedat, neque pestilentes
Convehens morbos Libitina luctu
Misceat arva;
Quæ dedit leto misere insequenti
Civium late proceres et imos,
Vix avis ullum superesse cæsis
Passa nepotem.
Supplicum lenis precibus moveri
Sis diu: terræ bona da ferentis
Munera, optatam bona da salutem,
Diva, colonis.

Digitized by Google

pro Joanne Folicaldio antistite urbano sacrum Tiberiaci ad ædem ejus primum faciente.

Dum pius ingreditur reserati limina templi
  Antistes, patrii laus columenque soli;
Dumque tuas primum sacris operatur ad aras,
  Te facilem votis, propitiamque vocans,
Respice, dia Parens, namque optima cuncta precatur,
  Quæque rogat puro corde animoque rogat.
Nempe ut quæsitæ producas otia pacis,
  Quando aliud fessæ nil super Ausoniæ est.
Incolumemque diu serves ad regna Leonem,
  Desque animos, et vim mentis, et omne decus.
Respice, seu tenui gaudens effulgere nimbo,
  Colligis in sertum sidera clara novum;
Sive olea redimita caput longo ordine nubes
  Digeris, atque arcu versicolore notas.
Ipsa quoque egregium o! juvenem venientibus annis
  Admoveas magnis rebus, et imperio:
Justitiamque omni manifestam in munere monstres,
  Adsistens lateri duxque comesque suo.
Hoc circumfusæ poscunt matresque virique,
  Et tardus teneri voce nepotis avus.

Querela discipulorum
APUD S. NICOLAUM PATRONUM.

Dive, quem moti tremit unda ponti,
  Quem per et syrtes, mediasque lætus
  Ire per cautes canit expedita
                Nauta carina,

Quæ tuas votis oneramus aras
  Turba plagosi patiens magistri,
  Non minus sævis tumidum procellis
                Findimus æquor.

Hinc premit flagri metus imminentis,
  Inde, tormenti genus! innocentes
  Arguit ludos male pressa flexo
                Poplite tellus.

Terret inscriptus trepidante lingua
  Pulvis, et picta pudor in tabella,
  Pendulum collo referente vultum
    Vilis aselli.
Ni decet grata vice feriari
  Hîc nimis rerum miseris, colende
  Da Pater, Divûm positas quieti
    Visere sedes.
Tolle qua duro vacuum labore
  Spiritum venæ melioris urget
  Vis, et insigni meritas feremus
    Carmine grates.

Votum discipuli

NICOLAO SANCTO PONTIFICI MYRENSIUM.

Sub casum Autumni, nonisque decembribus actis,
  En iterum vacuos in tua festa dies
Annus agit, tristis solvens fastidia ludi
  Jam tandem, et duræ vincula militiæ.
Oh dignos cælo dudum constare sereno!
  Cur non his similes integer annus habet?
Sancte fave, votoque veni non asper amico:
  Pro casia, et seræ tunc ego flore rosæ,
Et calamum, et chartas, et iniquo pondere libros
  Ante aras statuam, maxima dona, tuas.



HEROICA.

AD SIMONEM BOLIVARUM.

Quod te Latinis experiar modis
Longe remotum sideribus ducem
Inferre nostris, lux salusque
Alterius, Bolivare, mundi;
Non est ferentis missa quod impetus
Sane recuses munera: prodeat
Quocumque terrarum, per ora
Vult celebris resonare virtus.
Me musa nullis blanditiis sequax,
Et pura fido pectore veritas
Ornare contentum merentes
Esse facit, pretioque recti.
Laudo pudorem gentis Americæ,
Fractumque longi servitii jugum,
Cives et exemptos catenis
Ense leves volitare nudo.
Vidcre campi Condinamarchiæ
Pulsam cruento marte tyrannidem,
Oblitum et Europæ per undas
Quærere iter trepidam carinis:
Gestire celsis mox Bogotam arcibus,
Fruique pacis munere liberæ,
Te dante leges, te salutem,
Atque novum Ligure ab Columbo

v. 17. *Condinamarchiae.* Nempe hoc Condinamarchiae praelio spes et fortuna omnis Hispanica illic deficere visa est.

v. 24. *Columbo.* Provinciae quae jugum Hispanicum detrectarunt in rempublicam coaluere cui ab Columbo illo nostrate *Columbia* nomen est inditum.

Digitized by Google

Fingente nomen gentibus in fidem
Late receptis: sic tamen ut, viros
Quæ vexat insignes, minacem
Invidiam patiaris auctor
Magnique vindex fœderis. At tuæ
Splendore famæ tutus inambulas
Incerta rerum; nec paratis
Insidiis, mediaque morte
Adesse parcis. Scilicet impios
Qui terret ausus pervigilat Deus:
Exceptus astu nec peribit
Qui patriæ juga solvit ultor;
Qui pro paternis juribus et domo
Pugnavit audax; immemor et sui
Augere privatam negavit
Rem, propria satis ipse dives
Virtute et armis et tenui dape.
Ille obstinato non minor Hercule
Utrique mundo clarus æque
Fulserit Hesperiis et Indis
Comune sidus. Concolor est malis,
Oditque rectum qui placet omnibus:
Post funus elutum natabit
Tartarea leve corpus unda.

DE TIPOO SAIBIO INDICO
ejusque dominatione a Britannis eversa.

Indica quid differt, aut Græca, aut Gallica virtus?
Illa tamen memori vix patet historia.
Te, Tipoe, sacro jamdudum vate carentem
Ex nostro melius carmine posteritas
Discat, et ingentes animos, præclaraque facta,
Quali consilio, quantus et ense fores:
Agmina raptorum qua vi pulsata fugâris
Non semel ab caræ liminibus patriæ:
Denique ut ipse tuos tutatus inaniter armis
Procumbas, Lybicis non secus ac latebris

v. 9. *Adesse parcis.* Haud semel in Bolivari necem conjuratum est ab æmulis et hostibus; irrito tamen hucusque ausu.

Quæ catulos leæna tegit, terretque verutos
  Venantes, donec vulneribus graviter
Icta cadit; ruere ast illi intra tecta frementes,
  Impune imbellem pertrahere et sobolem.
Quæ quondam repetens perculsa mente, Britannos
  Sic miror, populis crediderim ut facile
Vel jam nulla dari natalia jura, vel arce
  Ætherea nullum respicere ista Deum.

TUMULUS NAPOLEONIS BONAPARTIS.

Cæsar, Alexander, Cyrus, Sesostris in uno
  Naturæ et fati conditur hîc facinus.
Illo non alius spes magnas ingerere orbi,
  Idem nec voluit fallere splendidius.

DE AUGUSTINO CODAZZIO
militiæ cupido.

Delectu juvenum vix par Codazzius annis
  Atque statu, exsortem nactus ad arma viam,
Sponte venit, modulumque exstantem ut militis æquet
  Nititur, ac summis erigitur pedibus.
Hoc cernens, apage, inclamat qui codice servat
  Adscriptos, pueris non licet arma sequi.
Contra ille: adscriptos magno vult corpore ferri,
  An non magnanimo pectore Napoleo?

AD GRÆCOS.

Grajugenæ, duris stirps dudum exercita rebus,
  Perge age, te longo subtrahe servitio.
Fide Deo, manibusque tuis: interrita tecum,
  Cujuscumque time depereuntis opem.
Ut patriæ et rerum pro libertate tuarum,
  Nec certare velis pro leviore jugo.
Perge age: victricem ornabit te laudibus ætas,
  Oruabit lacrimis, si bene sola cades.

DE FILIO MARCI BOTHARINIS.

Botharine a puero quinti sub finibus anni,
  Quid magis optaret, quæsierant comites.

Digitized by Google

At ille: *ulcisci genitorem*, exclamat; et ira
Intorquens oculos turbidus emicuit.
Plaudite Grajugenæ, spesque hinc attollite vestras:
Quantus ab unguiculis se probat iste puer!

TUMULUS EMINIÆ
Tebelenio Epiri tyranno nuptæ.

Viator, Eminia.

V. Occidis, Eminia, ingenti formidine capta,
Dum rabidus mortem vir parat ense tibi.
E. Falleris: ipsa etenim thalamos exosa cruentos,
Optata jacui sponte soluta nece.
Complexus nam quæ miseros, furiasque tyranni
Ælysio, et placidis manibus anteferat?

VASILIKIA TEBELENII.

Siqua impune usquam mutatis moribus agna
Auderet rabido concubuisse lupo;
Te miseram studiis, Vasilikia blanda, referret,
Cui favet, Epiri quem tremit ora, senex.
Tu fessum scelere, et curis insomnibus ægrum
Demulcens barbam, conlacrymansque levas:
Devotum et diris caput omnibus unica velles
Dudum impendenti avertere supplicio.
Vanum opus! Accelerant pœnis fata aspera justis.
Non exauditas, impia, tolle preces.

EUPHROSINE *perempta.*

Euphrosine infelix! tibi fama, absente marito,
Mox vita immani detrahitur scelere.
Abstulit hanc Tebelen, Tebelides abstulit illam;
Et patris et nati vulnere cæsa cadis.
Hoc tamen excusata jaces, quod nulla morari
Agna queat cupidos sola relicta lupos.

MODENE MAUROGENIA.

Quae virgo, Mycone erumpens, freta cærula findit,
Euboicumque audax litus ad arma ciet:

Et se Turcarum victori spondet habendam,
Dotalesque viro præmia ponit opes?
Crediderim Venerem te, Maurogenia; præsens
Si Danais unquam posset adesse Venus.

IRENE MARTYR
a procis Sunnite et Mauro intacta.

Irene, Argolidum pulcerrima quotquot apricis
Collibus educit desidiosa Chios,
Quæ mox crudeli subeas discrimine fata,
Proh miserum! formæ perdita laude tuæ.
Namque laborantes Sunnis et Maurus in una,
Jam pretio, jam vi te sibi quisque petet:
Deterior donec Maurus te vulnere solvet
Letifero, alterius ne patiare jugum.
Irene Argolidum fortunatissima! quæ sic
Ad thalamos venies intemerata Dei.

BOBOLINE TIPARENA.

Cædem ultura viri, Tipareno effunderis ardens,
Odrisiosque cavis navibus exagitas.
Quis videat sospes Bobolinæ vela furentis?
Heus! lepores, toto cedite ab Jonio.

MARCUS BOTHARIDES
ab conjuge et natis digrediens.

Græcia jam longo rerum discrimine fessa,
Nec tamen egregiis minor orsis,
Extremas vires pro libertate ciebat,
Eveni prope flumina Marco
Botharide rapiente suos ad maxima belli
Gesta, diu memoranda per orbem.
Tardabant dulces casta cum conjuge nati,
Ne, si quem sors cæca pararet
Eventum sibi luctificum, sociisque, superbo
Captivi traherentur ab hoste.
Fertur flavicomam ad Chrysen sic esse locutus,
Venturo nil credulus, heros:
Me dudum patriæ deberi, te tua magna
Admonuit virtus. Age porro,

Digitized by Google

Quæ Deus est thalamo largitus pignora nostro
  Abde procul, ne sera salutem
Exquiras, si quid nos fallat denique numen
  Armorum fortuna, ducumque.
Est in secessu Italico tutissima tellus
  Ancon, Dorica origine gaudens.
Hanc pete cum natis, conjux: hinc nosse licebit,
  Quo res cumque cadant meæ,
Et patriæ. Hîc laudi proles adolescat avitæ
  Non impar, genitoris et ausis:
Securus vestrum, venientibus integer obsto
  Hostibus, involitansque referta
Agmina disjicio; imbelles ceu forte columbas
  Vult aquila exagitare. Recepto
Me quondam vobis, simul esse juvabit, et alma
  Pace meos numerare triumphos.
Aut si fata negant reditum, contentus abibo
  Quod nostro de sanguine crescent
Odrisiis odia et pœnæ. Cinere exsatiato
  Ultus enim tellure quiescam
Sub patria: fors et fastis scribetur Achivis,
  Munere Botharidum rediisse
Imperium antiquum, et mores queis Græcia dici, et
  Esse diu liberrima possit.

Tumulus MARCI BOTHARIDIS.
Conjux superstes ad viatorem.

Hunc vivum patriæ concessi, qui meus esse
  Debuit, ut Graja pro libertate periret.
Exstinctum deflet patria omnis, non ego Chryse,
Quæ bene notum habui, thalamo cum jungerer isti,
Botharidi, aut patriæ pereundum. Tu mihi gaude,
Hospes, quæ male dum videor deserta marito,
Suscipior patria, felicem exorsa senectam.

GEORGIUS *olympicola.*

Quem patriæ anxilio latebris emisit Olympus
  Incassum exagitas, turba inimica, ducem.

v. 14. *Vult aquila.* Marcus Botharides *Aquila* cognomine apud suos gaudebat.

Obvia numquam illi venies impune ruenti,
  Quem bello insignem dextra, Deusque facit.
Nec magis insidiis, quam vi domuisse licebit,
  Cum posces misera proditione Dacas.
Ille, Polymnides alter, certamine cedet
  Et vita, invictos cum sciat esse suos.

NICETAS *turcophagus* (*)

Te merita ut cumulet victoria laude, Niceta,
  Nomine, quod satagat, non habet ipsa suo.
Turcarum adventans magno molimine turba
  Funditur angusto disjicienda *Trocho*.
Nempe omnes paucis comitantibus excipis ipse,
  Vertis et in turpem millia multa fugam,
Fulmineus timidos agitare. Leonidas ornet
  Thermopylas fama, Turcophagusque *Trochon*.

DE ODYSSEO *Andrisci filio* (**)

Deberent Musæ tibi, fortis Odyssee, per quem
  Bœotum Odrisiis hostibus arva vacant.
Deberet salvis, siqua esset, Pallas Athenis;
  Omniaque Argolidos numina et Arcadiæ
Deberent; nam consiliis Argiva juventus
  Acta tuis, properat millibus hîc tumulum:
Quosque Nicetæ ambo, quos Colocotronius heros
  Demetit, inclusos objicis ipse neci.
Sed mater tibi se totam debere fatetur
  Græcia: quid nato dulcius esse potest?

GEORGIUS CANARIS.

Vulcanum pernix immittere navibus altis
  Jonium cymba nil timet ire levi;

v. 4. *misera proditione*: quem nempe Dacae, Turcis imperantibus, struxere, Georgium revocantes in angustias coenobii cujusdam, ubi lipsana quamplurima martyrum sanctorum, hostibus ingruentibus, pessime haberi ajebant.

v. 5. *Polymnides*. Epaminondas Polymnii filius.

(*) Nicetas, qui ab νικης, *victoria*, aliquid habet, a pugna *Trochaica Turcophagus* appellatus est.

(**) Odyssei consilio Turcarum x millia in Peloponnesi angustias conjecta, deletaque sunt.

Digitized by Google

Et cum tranquillo pacatum marmore sedit,
  Et cum turbatis undique fervet aquis.
Odrisiis nihil est tutum; vel sospite portu
  Implicat hostiles indita flamma rates.

NOMINA GRÆCORUM
qui in Dacia pro libertate patriæ perierunt.

Turba canum, fuge terra
  Et jugis et æquore:
Prisca virûm monstra fundit
  Dudum effœta Græcia.
Hinc Ætolus Athanasius
  Æmulus Leonidæ,
Inde it acer Cuthogones,
  Et Sphælos fulmineus.
Kotyran Peloponnesus
  Cum Pisakse parturit:
Fert Alostron et Zacynthos,
  Dat Leucas Apostolon.
Cephalenia Lucas emicat,
  Et duo Mingrelii.
Chio gaudet Sebastopolus,
  Et Coo Sophlanius
Tuthuniden Lacædemon
  Fundit et Xenocraten.
Ab Epiro Kontos exilit
  Devovendus patriæ.
Sendocakis Alexandro
  Thrax Achivo jungitur;
Cumque Gika ruit audax
  Lagides Pantaghatus,
Cui per ora vix juventus
  Lustro affulget tertio.
Pampiolachen, Kontolachen
  Urit et Methodium
Laudis amor, quos sub Ida
  Creta tulit nobilis.
Hác Andrulis, hác Andronicus
  Ingruit Achaicus:

Digitized by Google

Sothos urget, et Diaclis
  Nido elapsus Ithacæ.
Jam phœnicis redivivi
  Sub vexillo cogitur
Lecta cohors, cui pugnando
  Sacrum et sollemne est mori.
Turca rapax, quid tenebis,
  Quos, superbe, proteres,
Cum tot odî et ultionis
  Tot virtutis semina,
Sub cruenta tellure posita
  Circa Alutam et Poratam,
Germinabunt heroum animas
  Repetentes patriam?

DE ANDREA MIAULIDE.

Qui regat in sævos tendentia carbasa Turcas,
  Et vehat heroas littore ab Argolico,
Quæritur, atque alacri occurrit virtute Miaulis,
  Qui juvenis veteres æquat honore duces.
Nempe hunc non Mycale, aut Salamis testabitur una
  Victorem, Jonii sed plaga quæque maris.

SAMUEL

qui et Judicium extremum *apud Græcos.*

Unde exortus ades? quo numine missus amico,
  Hostibus advolitans fata suprema paras?
Te, quocumque ruis, sequitur victoria, multo
  Et circum exanimi corpore terra latet.
Præsidium rebus Grajorum, quá licet: et dum
  Exsuperant hostes, non tibi tute dees:
Te Bruto meliorem ultro mors suscipit, atque
  Heroes inter consecrat Argolicos.

ELIAS JATRANIS.

Captivum Turcæ frustra me quæritis: a me
  Captivus vestrûm solus hic ensis erit.
Dixit, et ense sibi properavit nobile letum,
  Inveniens medio Jatranis hoste viam.

Digitized by Google

THEODORUS RIGAS.

Ille ego sum Graji Theodorus nominis ultor,
Qui fessos docui juga frangere barbara fratres,
Avulsus vita et patria, dum candida primum
Libertas Danais visa est affulgere. Namque
Exulem et ejectum cum me Tergeste teneret
Hospitio, immanes astu submisit ad hostes
Tauruni leto plectendum. Gutture fracto
Scilicet exanimis jacui; tamen ante paravi
Exitium trepidis tortoribus. Inclyta pubes
Argivûm, si quid virtute et sanguine partum
Libertatis erit, mihi grata referre memento.
Primus enim occulto pascentes pectore flammas
Vulgavi, primus privata et publica jura
Adserui, turpes docui vexare tyrannos
Carmine et opprobriis odiisque sequacibus, audax
Circumferre ignem ad magni præludia belli.

Querela ELÆORUM *patria decedentium Britannis expellentibus* VI *Idus Majas anni* MDCCCXVIII.

Valete tecta avita, et aræ, et mœnia
Felicis olim patriæ:
Valete aprica montium cacumina,
Et agri, et ima vallium:
Fruges valete, et vos vineta, et aureis
Arbusta malis obsita:
Petita præda dudum Odrisiis lupis
Vos Anglus hospes turpiter
Divendit auro. Quid pararet tristius
Receptus hostis arcibus?
Heu canibus adsita, heu perempta patria
Tutoribus sub advenis!
Satis superque queis non est quod annuum
Uterque mundus convehit,
Quin et pusilla fenerentur oppida,
Et pejerent pecunia.
O pestis addita orbi, erinnys gentium,
Hirudo terrarum et maris,

Quid obstat, Albion, tuas quid insulas,
  Moles et altas urbium
Moratur, imo ne desidant æquore,
  Ruant vel ictæ fulmine?
Elææ, inanis urbs Jonio sinu,
  Tutela magnæ Virginis,
Complexa Christum ab ultimis majoribus,
  Fidensque vexillo Crucis,
Jam te Machonis grex supinus, et canes,
  Prædé occupabunt Anglia.
Cras sol refusus pro quadrifido labaro
  Cernet bicornes lunulas
Urgere templa et turres, turpe ac horridum!
  Nutu Britannorum et manu.
Tantum hoc nefandæ immanitatis suscipit,
  Quantum nec in feras cadit:
Quod nec nepotum longa pœnitentia,
  Totum nec eluet mare.
Esto beata nostrarum negotio
  Rerum, sacrorum, et sanguinis,
Amica miseris gens, impune ni potes,
  Dolosa nunquam, aut perfida.
Mercedem avari criminis sinu preme,
  Vel abde Tamesi sub tuo;
Elææ inulto publicatæ ab hospite
  Tardos movebunt posteros.
Hæc fudit atram secum indignatus vicem
  Pulsus Xenocles patria:
Nos scelere testabamur immunem Angliam,
  Rerum salutem et gentium.

Propempticon
CRUCIS SALUTARIS
ab Samothracia Hydram transvectæ
anno MDCCCXXIII.

Splendidior salsis caput exsere fluctibus, o sol,
  Insueta Grajis qui reduces gaudia.
Eure coronatis jam lintea navibus imple,
  Solem orientis prosecutus a domo.

Digitized by Google

Crux orbis divina salus, Crux undique victrix
  Sami recessu proferenda Thraciæ,
Perque freta Jonii longe est vectanda carinis,
  Quá floret Hydra Typarenus divite.
Quærite jam latebras Asiæ, nataliaque arva,
  Turcæ, quot estis inquinantes hunc sinum,
Islamum, dominosque nefas habitare superbos,
  Crux ubi refulget libertatis nuncia.
Ægæum exultat terris atque omnibus undis,
  Qua sequitur usque secedentem Naupliam.
Imbrus ovans, hilarisque Thasus venerabile signum
  Primæ salutant portuoso littore
Digressum Imbrasiæ. Scopulis at Lemnia pubes
  Effusa patriis æquor omne personat:
Crux ades o, Crux alma, tuos terraque marique
  Tuere præsens, seu citatis navibus,
Sive opus est pedites concurrere. Palleat hostis
  Fugam requirens, ubicumque fulseris.
Ingeminant Chryse opperiens, Sciathusque, Scyrosque,
  Squalensque rara voce responsat Chios.
Christiadum agnoscunt classem, lustrantque choreis
  Cruci triumphum gratulantes Cyclades:
Æquoris Jonii palantia Cyclades astra,
  Pars innatantis dissipata Græciæ.
Crux pia, Crux Danaûm spes auxiliumque ruentum
  In ferrum et ignem libertate pro sacra,
En iterum inveniet mansuram Græcia vitam,
  Velut renascens phœnix cineribus suis?
En unquam sinuosa vacaverit hostibus ora,
  Aut bajulârit grex Achivis Turcicus?
—Myrtoum ex quo prospiciet Crux edita, seni
  Labentur anni misera bellorum vice.

v. 2. *Sami* . . . . . *Thraciæ*. Vetus asylum religionum Samus, quo Crux augusta ab Atho transvecta fuerat in periculo rerum omnium.

v. 12. *Portuoso littore* . . . . . *Imbrasiæ*: Samothraciæ nempe, quæ est et *Imbrasia* ab Imbraso flumine, juxta Scaligerum in Conjectan. Insulam eam *omnium portuosissimam* appellavit Plinius H. N. lib. IV. cap. 12.

v. 20. *Squalensque* etc. recenti clade Christicolarum xxxx fere millium.

v. 23. *Cyclades astra*. Aristidis in oratione de laudibus Ægaei maris sententia est, illud non aliter suis insulis ornari, quam caelum stellis.

v. 31. *Myrtoum* etc. Tiparenus, ad ostium sinus Hermionici, mare Myrtoum longe lateque prospicit.

Sanguine quærenda est, siqua est patria ulla salusque.
  Tellurem et undas cruor effusus haud semel
Inficiet, rebusque diu trepidabitur arctis,
  Prius revisat quam libertas Græciam. —
Libertas erit illa, jugumne an mitius? — Ævo
  Quantum huic supersit libertatis hoc erit,
Atque jugi quantum ostendat, jam posse Pelasgos
  Optare, nec fas esse habere patriam.

PHOTOS THABELLAS
data redeundi fide ad suos mittitur,
ut eos Tebelenio Epiri tyranno
spe fœderis conciliet.

Amicus Argis perfidus, et dolo
Invictus hostis, Grajugenûm manum
  In te ruentem queis coerces
    Insidiis, Tebelen tyranne?
Captivus intra mœnia vertitur
Photos Thabellas: spe saturum bona
  Hunc mitte, qui magnis repente
    Fœdera pollicitis reposcat.
Nil non roganti credulus annuet
Miles Thabellæ. Mittitur ad suos
  Sic noctis obscurus per umbram
    Odrisiæ memor artis heros.
Caris amicis ut medius stetit
Fatur Thabellas: Prodimur, heus! viri;
  Neu pace prætenta putetis
    Posse lupum cohibere morsus.
Virtute et armis quod Tebelen nequit,
Venatur astu vincere si foret:
  Nec me tot adversis decorum
    Vulneribus dubitavit hujus
Fraudis ministrum mittere, et integram
Orare pacis fœdifragus fidem,
  Ut plectat invadens inermes,
    Quos acie pavet impar hostes.

v. 7. *Pelasgos.* Pelasgi sic dicti quasi πελαργοὶ (*ciconiae*) nulla certa sede peregrinantes.

Cavete falli. Discite barbarum
Morem: et nefandæ regna libidinis
  Evertite armis, hanc jubentes
    Chaonia procul ire pestem.
Quodcumque fusi sanguinis hinc erit,
Susceptus astris perpetuum decus
  Tollet coronis quas cruento
    Martyrio parat aula cæli.
Præsul beatus vos reditu meo
Firmabo: pœnas sumere nam spei
  Optârit elusæ tyrannus,
    Meque neci dederit volentem.
Sævire Thracum est. Millia sed virûm
Post me relinquo queis ruere est sacrum
  Gentemque et arces, et perosum
    Odrisiis Danaisque regnum.
Valete, cives. Cernere vos erit
Cælo receptos. Supplicio brevi
  Locabor exemptus catenis
    Astra super. Redit hæc locutus
Heros, triumpho nobilis ut viam
Pompa secaret. Stant socii metu
  Virtutis: objectaque morte
    Nil trepidum precibus sequuntur.
Infecta vivent fœdera. Regulo
Ætate differs, non animo, Photos.
  Devota jurabit per ensem (*)
    Sæpe tuum soboles nepotum.

VICTORIA DE TURCIS AD PYLUM
per classes fœderatorum Europæ regum
anno MDCCCXXVII.

Quousque cæli vertice prospera
Tardare Grajis fata videbimus;
  Terraque depulsas feremus
    Jonio volitare lunas

(*) Sacramenti loco est hodie apud Græcos ensem Photi jurare.
Cæterum de Photo res aliter cecidere, ut patet ex historiis temporum. Poeta servavit illud Platonis in Phoedone: τον ποιητην δεοι ειπερ μελλοι ποιητης ειναι ποιειν μυθους αλλ ου λογους.

Digitized by Google

Late minaces? occupat, occupat
Tandem cruentæ pœna licentiæ.
Quid classe possit visque, mensque
Christiadum experiere, Turca.
Ruthenus audax fœdere Gallico,
Pubesque flavæ juncta Britanniæ
Pugnare quærunt, et patente
Longa odia exsaturare ponto.
Conclusus imæ quid scopulis Pyli
Moliris? illic cornua turpiter
Confracta deflebis, tuumque
Omne mari periisse nomen.
Nil attinet te fidere brachiis:
Exceptus arcto, Niligenûm pecus,
Urgente fatorum ruina,
Ense cades, volucrique flamma.
At nos canemus belligeras rates
Egisse tuto naufragium sinu,
Viresque fusas, et latentem
Corporibus, tabulisque portum.
Late rubescet sanguine de tuo,
Longeque trudet fragmina puppium
Ambusta neptunus, geretque
Sæva diu monumenta pugnæ.
Hæc lacrimanti debita Græciæ
Cæli coruscis annuit arcibus
Qui regna permutat, gravique
Dat dominis juga ferre dextra.
Gaudete, Graji. Perdomita Pylo,
Magnum est secunda quod trahitur vice
Rerum; nec insignes morantur
Tempora Christiadum triumphos.
Pene obsoletæ vincla tyrannidis
Ruthenus acri dissolüit manu,
Ductos et in longum Pelasgos
Auspiciis juvat unus æquis.
Transmittit Istrum, ruraque Mœsiæ,
Utrumque et Hæmi victor obit latus,
Quá bruma toto squalet anno,
Quá virides alit aura silvas.

Digitized by Google

Castella celsis addita rupibus,
Cavique tormenta æris obambulat
Impune. Byzantì minaces
Jamque tremunt procul inde turres.
Intacta dudum limina Thraciæ
Perrumpit armis; fataque si ferunt
Matura, transvectos videmus
Sedem Asiæ reparare Turcas.
An usque votis flebit inanibus
Europa? Vires o iterum suæ
Jungantur, eversisque tectis
Barbaricis, renoventur urbes.

VASINGTHONIO ET LAFAYETTO
adsertoribus libertatis humanæ.

Tyndaridæ juvenes, alacer cum Castore Pollux,
Invictas bello sæpe tulere manus,
Ut premerent junctos indigna fraude tyrannos,
Et ruerent acri stantia regna metu.
Vos, queis sollemne est populorum jura tueri,
Ultores habuit mundus uterque suos.
Dumque alter, domitis longo certamine monstris,
Occidit, et caros deserit Americos,
Exoritur, nostroque favens convertitur orbi
Alter, et Europæ libera fata parat.
O utinam vestro longúm sub sidere tellus
Utraque mutatis gaudeat imperiis!
Gaudeat et justa sub libertate, receptis
Legibus, et pulsis undique Tarquiniis.

v. ult. *Legibus. Legum omnes servi sumus, ut liberi esse possimus.* Cic. pro Cluentio 46.

MORALIA.

IN METICULOSOS.

Ignavos odi, et dubio sermone loquentes,
  Qui trepide incipiunt, perficiuntque nihil.
Nempe diem ut tenebris infuscans hora ruentem
  Lucida nec satis est, nec mihi nigra satis,
Pessima at hæc pariter morborum, et frigoris hora est;
  Atque illa est hominum pessima progenies.

IN NUMANUM.

Me me stridentes quos creat Britannia
  Bubones, vespertiliones et striges
  Sanum anteferre candidis oloribus,
  Quos Mincius, quos Tibris, quos et Aufidus
  Miratus undis audiit morantibus!
  Hoc tecum facere me, pilose ganeo?
  Nempe intuemur ut Chimæram, ut ignea
  Portenta noctis, quæ videre sol timet
  Timendus illis; numquam amavimus tamen.

PAX . EX . BELLO
graviter inscriptum turri maritimæ apud Plimuthum.

Jure facis, tibi quod belli de munere partam
  Declaras pacem, Cimbrica progenies
Heu Catulo elapsa et Mario: vi scilicet auri
  Cunctorum ex bello est vestra petita salus. (*)

(*) Haec refer ad annum MDCCCXII.

At si, pacatis aliquando gentibus, orbis
Incipiat proprio vivere velle penu,
An non composita tabesces denique pace,
Jussa Midæ aut Crassi forte perire fame?

AD FRANCISCUM ORIOLIUM
de laude studiorum pessimo publico intermissa.

Frustra loquacis murmure næniæ
Tristes novercas frangere persequor,
Mox obseratis defuturas
Auribus ingenuo labori.
Nullis querelis avia pectora
Constringi acuto credibile est gelu,
Quod jam nec ignis, nec calores
Auster agens Lybicos resolvet.
Stipatus auro dives ab utili
Fastidiosæ Palladis arduas
Demittit artes in procacis
Arbitrium studiumque turbæ.
Ærugo quod non apposuit lucro
Nefas putando, ridet inanium
Secreta musarum. Hoc parente
Quid melius dederint minores?
Crescet paternis moribus et domo
Heres, nec illum degenerem arguet
Ignota virtus, separato
Exitium properans acervo.
Injuriosa corripiet manu
Congesta culpæ non sine conscia
Mente; et annorum vix repostas
Divitias populabit hora.
Atqui vocatus præcipuos aget
Felix honores; urbis et heu pater
Fastis notatus, non tacenda
Fraude fidem rapiet nepotum!

v. 6. *novercas*: moderatores nempe disciplinarum.

AD CÆSAREM MONTALTIUM.

Quæ sudum, et puri toties dare carmina soles
Non potuere jocis distento, et ruris amore,
Hæc ipsa effudit vacuo, Montalte, poetæ
Tempestas pluvia tandem mutata decembri.
Nam quid agam potius, dulcem ut reminiscar amicum,
Damnatus solidis tectum servare diebus?
Ille, puto, ventos melius devitat et imbrem,
Certus Francisci grege condi cum capulato (*)
Porticibus tacitis, aut parvæ culmine cellæ.
Namque hospes patuli pœnas dat criminis illic,
Vel plumbo stravisse feras, vel amasse puellam,
Vel nimis humanos optasse hoc tempore mores,
Horribilis regi, et leto plectenda libido.
At male habet merito, male qui sua sæcula novit,
Laudatam male qui didicit traducere vitam.
Mane vigil sacro adsistat, crucis inde cruentæ
Conficiat lacrimosus iter, genibus sola verrat.
Judicis atrati conscendat sæpe tribunal,
Sæpius æthereæ vescatur munere mensæ
Conspicuus; positum mox siquá offendat egentem,
Subsistens obolo jaciat resonante levamen.
His ubi pigmentis famæ prospexerit, omne
Audeat impune admissum, perjuria, fraudes
Constipet, querulis caute violentus, et atrox;
Insontem probri insimulet, sit fur, sit avarus,
Mœchetur, temnat divina, humanaque vertat,
Non impar Curio laudabitur, atque Catoni.
Sic erit exemplo vivus, sic mortuus amplas
Eliciet lacrimas sapienter vivere doctis.
Vos quibus indignum est frugi simulare, piumque,
Et populum ficta sic relligione mereri,
Indiga consilii, damnata, infensaque turba,
Vos dura exsilia et sanos ergastula reddent,
Furibus, et validis vacuata ergastula sicis.

(*) Montaltius tunc temporis arbitrio Episcopi apud sodales Franciscales capulatos Caesenae diversabatur ob noxiam nescio quam castigandus.

Digitized by Google

AD PETRUM ARMANDIUM
de Vincentio Montio poeta, cive suo, ex ejus imagine ære excusa.

Montius hinc spirat, divino percitus æstu
Qui cælum tetigit, cæloque haud impar habetur.
Carmine complexus multa et diversa potenti,
Undique felices lauros decerpsit, hiante
Nequidquam invidia. Romam laudavit amicus,
Mox Gallos fovit fallacibus omnia magna
Pollicitos studiis, spe multum ductus inani,
Italiam exsterna jam posse resurgere dextra.
Fortunæ postquam didicit servire ferenti,
Victoresque sequi gaudentes laudibus, arma
Non timuit celebrare, minor victoribus, et se.
Ast ubi mutatæ nudârunt omnia sortes,
Et patuit miseris quo res deduxerit æqua
Credulitas, famæ exarsit melioris amore,
Iliacumque Italis carmen donavit, et orbi,
Dignum opus Aonidum, numeris et divite lingua.
Mox male odoratis infestus floribus Arni,
Furfureos etiam proceres sale contigit acri,
Ridiculos patrii sermonis jura tueri,
Atque ipsos peccare, infidaque tradere. Verum
Quæ deinde attulerit, qua vi nova scita crepantes
Fregerit, et spreti revocato carmine Dantis,
Monstrârit priscos ut nunc imitemur honeste,
Sensere Ausonii; sed, credimus, altera discet
Progenies; etenim nostra hæc abducitur, omnes
Nunc prona ad leges, nunc omni lege soluta.
Quam satis exclament cathedræ, meliusque cathedris
Exemplum numerosa ferentis et aurea Montî,
Esse iter in medio, medio se prodere rectum
Atque decens, anni quod non diffingere possint?
Si calet ingenio quis, judicioque laborat
Delectus, limamque odit, cur poscere lauros
Vult immortales? contra si judicat apte,
Ingenioque caret, cur implumis strepit ales
Per nidum, et vanos audet tentare volatus?

Digitized by Google

Nascuntur rari, ut quondam, spirantque poetæ,
Nam qui judicio simul, et simul ubere præstent
Ingenio raros fudit natura per orbem.
Quem tamen extulerit magna vi pulsat, et urgens
Urit ad extremam viridem rabidumque senectam:
Et si deficiunt aures, oculique laborant,
Vertit hyperboreas patrio sermone fabellas
Indomitus lustris, atque omnis vulnere morbi.
Montius ista dedit de se spectacula: quantus
Vates, at qualis vir! sed Rhamnunte manenti
Non bene se purgat famæ cujuslibet auceps.
Quam melius, magnis Armande emense lacertis
Fortunam hanc ipsam rerum quam flemus, ab armis
Intactus vitæ ac famæ te vertis ad arva;
Splendidius partas lauros, quam qui efferat, abdens
Aggere glebarum Helvini securus ad ora.
Te, quicumque manet volvendis exitus annis,
Defletum excipiet placido Libitina sepulcro,
Nobilium merces, si sors negat, ampla laborum.
Felix tute tibi: patria te Montius æquat
Non animo, quo blanditiis impervius angis
Dedecorum emptores pretio, officiisve Britannos,
Et Gallos, et Germanos, Italusque videris,
Civis et agricolæ haud expers virtute Catonis.
Hanc laudem obsequio domini qui spernit, avarus
Exulet Ausonia, pereatque ignotus et exspes.
Tellure in patria serum te, dulcis amice,
Cognati condant juncta pietate: Deusque
Qui gaudet servare bonos te servet ab omni
Incolumem ambitione, et duri pestibus ævi.

v. 7. *Vertit* etc. Hoc Montius auribus oculisque captus, et apoplexi perculsus extrema aetate praestabat.

v. 10. *Rhamnunte* etc. Nemesi nempe, quae famosis quibuslibet non parcit, sed optimam tantum famam adeptis.

v. 16. *Helvini.* amnis ad Portum Firmanorum in mare profluens.

Digitized by Google

AD JOANNEM GALVANIUM.

Erotica scribentes tuetur.

An Scythiam et Rhodopen miseri fugiamus amantes
Quæsitum Zephyros et terram sole calentem,
Hæc etenim regio glacie concreta rigescit.
Quid virides saltus, et stagna sonantia cycnis,
Et vitrei fontes, et mollia prata, sinusque
Æquoris, et vasto prospectu in montibus urbes?
Agmina quid florum et stirpes, et amare jubentes
Concentus volucrum, tanta et clementia cæli,
Obtusa est acie si mens, quique omnia libret,
Et vocet ad trutinam luscus judex sedet intus?
Utilitas quidquid non commendavit, et altis
Muta superciliis ratio, dijudicat ille
Stoicus, et rictu sæpe intercepit acerbo.
Spectemus vires naturæ, munera rerum,
Et varios fœtus, et quo sint ordine creti,
Quos habeant usus, et quo properare queamus,
Aut duplicare modo segetes, armenta, lyeum,
Præterea nil solliciti. Peccatur amœni
Siquid habet fundus quod et utile non sit; inanis
Frumento tractus si quis viret, aut alit umbras.
Sanus ames pulcrum quod secum commoda ducit.
Fœmina sic placeat quæ sit dotata parente
Non calatho et lana, ~~potulie~~ sed clunibus et re. pulcris
Sic siquis vatum (namque omnia stipite ab uno
Eveniunt) casto quondam delirat amore,
Despiciendus, et intortis religandus habetur
Funiculis, omnes per cœtus donec acerbæ
Ictus acu linguæ sileat, risusque moretur.
An gerat hoc nova quædam hominum sapientia, an ætas
Torrida bellorum obtrudat, mecum ipse volutans
Quæsivi dudum. Veteres tabescere mores,
Memmius exclamat, devexaque scita sophorum;
Leges deficere, et docti nova semina vulgi
Exsultare palam, quam multa effunditur imo
Autumno alterius spes anni credita terræ.
Jamque viris condenda novis nova jura, novasque

Delicias, cultuque novo formanda juventæ
Ingenia auspiciis melioribus edocet. An nos
Latior arridet simul ac natura, feremus
Contenti pedicas veterum? juvat exspatiari
Liberius solito, notosque relinquere calles.
Iratum placeat nobis mare, fulgura, nimbi,
Horrentes sylvæ, cælo contermina tellus:
Omnia vasta loqui, magnum hoc dignumque putemus
Ætate hac magna; despectus abire Cupido
Eligat, aut habitu posthac prodire virili.
Contra nos: dulcis musti ut decoctus aheno
Humor agit spumas, subjectis follibus ætas
Fervida sic juvenum ex animo discludit amorem;
Quem nisi despumes, mentem misere inficit. At si
Ne minimam hanc vati cupide vis demere partem,
Tolle et ama innocuus tecum, vitæque morantis
Falle iter, et mediis quære hinc solatia curis.
Si minus hoc facile est, cur servat fama Tibullum,
Nasonem, et solido festivum ex asse Catullum?
Qui vero eluerit juvenili ætate canorus
Hanc labem ingenii, volet ille ferentibus annis
Casta loqui, et seris placitura nepotibus: ac si
Nequidquam sparsis proluderet ictibus, et mox
Irruerit, dederitque pugil spectacula turbæ.
Nec caret exemplo res: rubra Priapea cantat,
Pastorumque ignes qui clarum Æneida quondam
Proferet: hinc longo serus post tempore Dantes
A puero dulces ludens tractabit amores;
Mox acris ingenii stimulis, ipsaque ferente
Fortuna angusta, pertundet inertia versu
Pectora, et impinget convicia comicus audax
In vulgus procerum, divina infernaque lustrans.
Quid qui perpetuo celebravit carmine Lauram,
Et senior longos suspiria duxit in annos?
Spondentem Romæ nova sæcla monere Tribunum
Non dubitat; patriæ tum magno incensus amore
Ausoniæ campis alienos bella gerentes
Exagitat; sapiens fortunæ occurrit utrique;
Gesta quoque audaci complectitur Africa musa.

Mitto Casam, mitto innumeros quos deinde tulere
Tempora; quis liquidum scripto damnârit amorem?
Esi leve quod multis evolvere garrula verbis
Lingua velit. Damnosa magis, damnandaque sanis
Est ratio juvenum quos coram casta crepantes
Pix mala constringit ficto sub pectore; amici
Qui thalamum invadunt taciti, qui pascere natos
Vicinum rident ab se, qui vulnere cæco
Constuprant rabidi miseras sine more puellas,
Aut gravidas abigunt, ferroque loquacibus instant,
Aut fœtus perimunt tentantes viscera matrum.
Omnia quæ magna sapientum ætate novorum
Narrata auriculis, cupideque arrepta vicissim
Cum risu atque joco comes excipit unus et alter,
Heu nimium fidi cognatis moribus: îdem
Publica res poscat, verborum turbine inanes
Vappæ exsolventur, sibi solis undique vivi,
Exitiale genus fucorum, armentaque Circes.
Contra qui castum puer est emensus amorem
Undique amat, patriam atque domum, fratresque, et amicos;
Cuncta libens animo complectitur usque; scelestos
Nec quidem odit merito, non ipsos, si velit, hostes.
Memmius increpitet contra, nos siquis amore
Perculsus blateret, melius leviusque feremus
Quam qui dissimulans stupris vacat, addita clades
Fœmineo generi, puerosque interficit alvo.

EROTICA.

DE AMORE ET TEMPORE.

Fallit amor tempus, fallit quoque tempus amorem:
Labendo humanum fallit uterque genus.

DE AMORE DAPHNES.

Pistricem quod amem felici fœdere Daphnen,
Forte animo quis me dixerit esse rudi:
Forte etiam arguerit, flamma quod percitus ista
Mansuro affectem carmine velle legi.
Atqui formosa Raphael pistrice calebat,
Cum tabulas miro pingeret ingenio;
Detinuit Daphne manantem melle Petrarcam,
Nunc quoque laudatus, nunc quoque vivus amor.
Et Daphne et pistrix nostra est: qua dignius urar?
Hæc placet, hanc toto pectore depereo.
Cujus ego amplexu, versis et ad oscula labris
Mutarem Ælysii delicias nemoris.

DE DAPHNES OSCULO.

Votis hoc ego pluribus petivi
Æqua ab Cypride, Cypridisque nato,
Quod me purpureis suis labellis
Laura ore, atque oculis suaviata est.
Talem nempe legunt apes saporem
Serpyllumque thymumque vulnerantes,
Quales delicias repente ab uno
Lauræ suaviolo beatus hausi.

Digitized by Google

Hoc volens igitur lubensque vobis,
Cypri, dedico, Cypridisque nate,
Ut si spondeat inde Laura quid mi
Majus purpureis suis labellis,
Vestro numine ad exitum feratis.

IN AMOREM DAPHNES.

Desine, sæve furor, flammis incessere mentem,
Devotum et musis pectus adire time.
Quid mihi cumque oculis, cumque isto vertice Daphnes?
Illa suum felix jungat, ametque virum.
Aut tu si quem alium huic formæ submittere tendis,
Mille, vides, juvenum pectora in urbe vacant.
Immunem sine me ad castos discedere versus;
Materiem Daphne forte pudica dabit.
Crede mihi, vere ac melius cantabitur ipsa,
Abstineas a me si, violente, faces.

AD C* C*

Cælestine, meo pars magna in pectore, quem mi
Præsentem usque ardens fingit amicitia;
Si cuiquam usquam ægro potuisti ferre levamen,
In misero hoc nostro fert opus exitio.
Torreor indigno correptus amore puellæ,
Torreri quantum nusquam alii acciderit.
Illa omnem infecit pestis teterrima mentem,
Atque mei mihi me vix memorem esse sinit.
Consului cælum, cælum est sine numine nobis;
Ipsa quoque auxilium musa rogata negat.
Quæcumque in studiis spes est, et fama salutis,
Quod Sophie spondet, quod valet ipsa fuga,
Omnia sum expertus nulla sanabilis arte,
In sola ut jam sit morte medela mali.

AD DAPHNEN.

Quin est ocellis quod sic inardet tuis
Potens ad imum penetrare pectoris,
Et flammas trepidanti conjicere animo?
An illa est acti vis ignita fulguris

Per æstuosum quæ coruscat æthera,
Simul tonante Pater exiluit domo?
An quem malignis puer aliger artibus,
Rerum, virûmque dura exercitatio,
Intorquet ignem prosequente spiculo?
Quidquid sit, opes undecumque sumpserit
Illa illa ocellis implicata facula,
Invadit, urit, sensus omnes perimit,
In toto nihil ut jam super sit homine
Tuo, lux cara, sospes ab incendio.

Meis ego te, Laura, scriptionibus,
Quocumque curiosi appellent nomine,
Formosam satis, obsequentem, et ingenuam
Prædicabo, et antiquis fidam amoribus.
Ut quod severis displicet præsentibus,
Legant humani, forte et dicant posteri:
Nec tantum scribi, nec tam amari potuit.

Ne timeas, mea lux, ullo me tempore pactam
Usque inde a teneris lædere posse fidem.
Illam ego et extremæ producam mortis ad horam,
Atque ipso functus funere fidus ero.
Condet Amor cinerique fidem, cineremque sepulcro,
Conditur ut tepidis usta favilla focis.
Imo eadem cinere in vacuo si concidet unquam,
Fulserit e nostro carmine viva fides.

Quæris, vita, tuo liquido illo pectore de me
An verum hoc sit quod dixit amica tibi;
Nempe immortali vitæ me tradere posse
Quos malim chartis concelebrare meis.
Vera dari exspectas? verum de vatibus hoc est,
Quos fovet in gremio Pieris alma suo:
Ipsum illud de me quod ait, mentitur amica,
Cumque illa siquis rumor idem eloquitur.

Digitized by Google

At si forte aliqua dabitur mihi vivere vita
  Post cineres scripti carminis officio,
Hoc ego, Laura, tuo totum de nomine sumam,
  Una etenim hac carmen laude superstes erit.

Si tibi commendo nigros, mea retia, crines;
  Usque nitent, inquis, dulcis amice, tibi.
Si roseasque genas, et labra coralina miror;
  Hæc, ais, exoptant jungier usque tuis.
Brachia si, niveumque sinum cum pectore laudo;
  Testaris fido sola patere mihi.
Vis me tam grato verborum extollere sensu?
  Aude aliquid: præsens ausa secundat Amor.

AD NOCTEM.

Nox bona, quæ miseros semper miseraris amantes,
  Consilium, et curæ testis opaca meæ;
Eminus ecce una ad Daphnen, scis, amplius hora
  Sub liquido Lunæ sidere pervigilo.
Et vetor ad dominæ limen procedere, nubes
  Ni prius adversum condat amica jubar.
Ah me, si me quidquam audis, nox aurea, nimbos
  Quos agit extremo vespere flans Zephyrus
Coge bona in nubem, et medio tenus objice cælo,
  Obscurus tantum ut limen adire queam.
Alma fave: mihi tunc ex omnibus optima Divis
  Omnia thura feres, omnia vota mea.

AD DAPHNEN.

Siste domi: certe adveniam; ne limine persta:
  Tertia fert hodie cornua Luna polo.
Fide parum: Phœbi soror est; te lumine prodet:
  An nescis furtis quam sit iniqua Dea?

AD EANDEM
de conjugio ejus.

Pistori sociata viro, quæ numina credam
  Conjugio indignas antetulisse faces?

Non Amor, aut avibus Cytherea advecta secundis,
Sed sors, imparium jungere læta manus.
Non genus hunc meruit, non ætas, nec tua virtus.
Ah pereat quæ te perdit inepta parens!

Gratia cælicolis, quos dudum id sæpe rogavi,
Placatus rediit vir tuus ille mihi:
Qui fuerat nobis tam multa, et dira minatus,
Si sibi quis noster cognitus esset amor.
Jam novit tecum mea quam sint gaudia casta,
Quam vacuum turpi pectus amicitia.
Nunc sinet æstivas nos circumducere noctes,
Nunc hyeme ante focum nos sinet esse simul.
Fide mihi, fide et sponsæ, vir digne, pudicæ:
Scis quæ sollicitos pœna parata manet.

NE DAPHNE
ad viridarium a se consitum.

Hortule, quem vitrei conclusum margine rivi
Excolui manibus, disposuique meis,
Si tibi committo lectorum semina florum,
Sufficio fluidas si tibi largus aquas;
Tolle citus caules, calicesque expande benignus,
Quot serto in viridi convenienter hient.
Scis cui mittetur, queis suscipietur in ulnis,
Contigerit quali delituisse sinu?
Munus in obsessæ penetrabit limina Dăphnes,
Hic ubi mî vivo non licet esse palam.
Heu quas blanditias, quæ basia sentiet! at me
Exclusum invidia discruciabit Amor.

AD DAPHNEN.

Ultima de nostro tibi munera mittimus horto,
Ultima quæ fugiens annus habere dedit.
Sunt cariophylla, atque rosæ, violæque, resedæque,
Exclusit viva quas meus arte labor.
His ego defendi glacialis frigora noctis,
Defendi pluviam, deciduasque nives.

Nempe ut servatæ Autumno sine more rigenti
  Ad dominam cupidi pignus amoris eant.
Proque hyeme, et campo longe lateque nivali
  Condantur tepido, suaveoleantque sinu.

Me vetulum inclamat, roseisque admota labellis
  Continuat Daphne basia multa mihi:
Vellit et incanos patiens a stirpe capillos,
  Quos nigræ implicuit stulta juventa comæ.
Mitte moram: possit caput hoc canescere totum,
  Ut cana incanus dicar amare fide.

Desine, vita, tuis fatum incusare querelis,
  Quod nos assidue non sinat esse simul.
Ut vetet, ut jugulet medios violenter amores,
  Non poterit tutæ frangere mentis opus.
Hæc ubicumque mihi lepor est, ubicumque voluptas,
  Continuo dominam suadet adesse meam.
Contigit in viridi requiescere mollius herba?
  Laura levis somnus, Laura fit umbra mihi.
Adspirat Zephyrus? Zephyro mea commodat alas,
  Ut velit æstivo frigidus ire die.
Est fons illimis sicco qui proluat ora?
  Inde habet ut possit lympha levare sitim.
Mulcentur sonitu auriculæ? sonus admonet illam;
  Quodque ima exquirit pectora dulce, ab ea est.
Auroram miror? facie venit illius ipsa:
  Vesper adest? dio in sidere, Laura, micas.
Sic ubicumque morer, quaqua sit parte tueri,
  Inveniunt oculi te, mea vita, mei.
Sic quacumque gravis rapiamur numine fati,
  Semper, habes, erimus, ne vereare, simul.

AD AMICOS
amorem quemque suum declarantes.

Ipse et amo: tutis fateor, tutisque fateri
  Non tædet; quid enim dissimulasse ~~refert~~ juvat?

Arguit hoc pallor, dejecto et lumina vultu,
  Quodque unum assidue nomen in ore sonat.
Nec quidem amo, ut tu, qui vetulam, Concinne, liguris,
  Jactantem veris mille tropæa sui:
Cræsule, neve ut tu, qui centum pectore flammas
  Concipis, et nullam jungis amore fidem:
Aut tu, Gaure procax, nebula irritabilis omni,
  Una qui Pholoen linquis, adisque die.
Me juvat in facilis reclinem pectore Daphnes
  Interdum curas enumerare meas,
Interdum a roseis decerpere basia labris
  Acrius, et collo brachia lenta dare.
Nec ego vellem alia, aut alio velit illa teneri;
  Consilium alterutri dat diuturna fides.
Mutua nos torret, dignumque est credere, flamma,
  Quæ placide in senio condat utrumque suo.

VATES DIE NATALI SUO.

Quæ me vitales eductum excepit in auras
  Prima dies, anni claudit euntis iter.
Hac ego convivas hilaris complector amicos;
  Deberem tristes diffugere ad lacrimas.
Nam quinto eveniens lustro crudele paravit
  Servitium, et duras imposuit dominas:
Leucen sollicitam, constanti pectore Daphnen,
  Illa manum rapuit, cor tulit ista meum:
Eustatie captam sibi vindicat integra mentem,
  Imperioque ullam non sinit esse parem.
His agor, et vario rerum discrimine nuto,
  Nam levis alternum cogor amare jugum.

AD NEBULAM.

O cælo et imbre procreata nebula,
  Propinqua roris, et propinqua nubium,
  Quænam te male vox amica gentium
  Viris molestam, et rebus arguit gravem?
  An glacialem quod prævertis hyemem
  Tutela frugum, et germinum lactentium,
  Porrecta campis, hoc putatur vitio?

Digitized by Google

An illud, in se tutam quod contumulas
Mentem severis penitus consiliis?
O caligantis insula Britanniæ,
Quid habes mali ut tibi vertatur minus?
At dudum nebula illa stat Britannica
Imperiorum restitutrix unica;
Nostra Italica contegit libidinum
Furta, et me Daphnen properantem ad auream
Propinqua roris, et propinqua nubium.

AD SILVESTRUM GHERARDUM.

Miraris viridi quod adhuc, Gherarde, juventa
Circum nostra aliquis tempora canus eat.
Non hoc immodicæ studiis fecere Camœnæ,
Infelix curis sed mihi fecit Amor.
Nimirum ut quinti verser licet agmine lustri,
In castris videar consenuisse suis.

Si quidquam antiquis revocandum ex moribus esset,
Quo fluerent versa tempora læta vice;
Hunc ego laudârim sanos optare minores,
Conjuge ducenda qui fuit usus avis,
Ante datas cælo tabulas, et scita sophorum
Aut quercu, aut sacris ære secata notis.
Bis septem legimus Jacob servire per annos,
Uxorem et longo quærere servitio.
Nec minus ut pulcra frueretur virgine conjux,
Credibile est tantas continuasse moras,
Quam studia ut pactæ, moresque expenderet omnes,
Et dignam illustri susciperet thalamo.
Illa vel antiqui servasset tecta parentis,
Vel potum pastas sollicitasset oves,
Aut agitaret acum juvenili sedula cura,
Aut traheret plena stamina longa colo,
Ipse aderat, taeitaque modos sub mente putabat,
Hanc placitam ut magno noverit esse Deo.
Nunc aliæ sortes; alio connubia gaudent
Auspice: quid veteris jam superest fidei?

Digitized by Google

Fraus mala jungendi mutavit fœdera lecti,
  Quæ tamen et dici poscit, et esse pudor.
Hæc suasit teneras pueris arcere puellas,
  Nec minus argutos ante pavere mares,
Quam quis arenoso serpentem in littore cernat,
  Æstivus medio cum furit axe canis.
Hinc juvenis castos thalami qui cogitat ignes,
  Ad Venerem furtim cogitur ire suam.
Nec tamen ut multo circum excipiatur amore,
  Speret sublatis vera videre dolis.
Nulla tibi arcanos velit integra promere sensus;
  Naturæ exposcit non sibi cæca virum.
Quid cupiat melius, conspectum assueta virilem
  Horrere, et nullos reddere sponte sonos?
Cauta parens natam, servandi jure pudoris,
  Continet in clausa, subsequiturque domo:
Donec jussa patris nimium venerata puella
  Destinat ignoto se male nota viro.
Nec licuit subitæ tentare pericula flammæ,
  Nec licuit cupidis libera verba loqui.
Cantatur thalamus: patrii patet ara sacelli;
  Adsistunt versa Paxque, Venusque face.
Hæc vovet æternos quos nunquam novit amores,
  Ille sibi oblatam dat recipitque fidem.
Conveniunt sponsi; vix prima nocte siletur:
  Inde furor totam personat usque domum.
Hoc Leucen miseram, hoc ipsum me perdidit: heu! heu!
  Quam male diversis jungimur ingeniis.
Quam melius patriis longe versarer ab arvis,
  Quam melius nullo captus amore forem!
Illa tamen mihi se fidam memoratque, probatque;
  Sæpe etiam insanos damnat amica metus.
Quid, si post paullo recalent impensius iræ,
  Vix residem cura sollicitante sinum?
Tolle fidem, Leuce: fraudes nil demoror ullas,
  Usque novas rixas si parat ista fides.
At mihi pandat Amor melioris pectus amicæ,
  Aut lætum Daphnes me velit esse sinu.

Dele, Amor, exsculptam hanc imo sub pectore Daphnen,
  Quando aliud dulci nil licet a domina
Sperare; immiti premitur nam compare, juxta
  Qui vigil intentis assidet excubiis;
Nec patitur seris componi furta sub horis,
  Nec patitur clausas hiscere nocte fores.
Quamquam ego fatali devotam absistere lecto,
  Nec cupiam, nec, vel si cupit ipsa, velim.
Sit satis innocuis ludos deducere verbis,
  Sit satis ad carum posse sedere latus:
Sive leves tenui transfigat cuspide telas,
  Et tereti filo nobile pingat opus;
Seu legere, et tristes casus cognoscere amantum
  Optet, et exemplo palleat a misero.
Ipse aderim lectorque gravis, doctorque benignus;
  Me facile ut lecta noscat in historia
Efficiam: trepida ad lacrimas incessere voce
  Juverit, et junctis immaduisse genis.
Nec sit qui flentes ansit damnare severus,
  Et morem ingenuum crimen habere putet.
Is fuit antiquis rerum jocundior usus;
  Pars erat hinc laudum magna petenda viris.
Haud secus Arcturo memoratur rege, Britannos
  Hinc arma, hinc dominam tollere sæpe suam.
Ingentesque animos affatu sumere ab uno,
  Audere et forti maxima quæque manu.
Hoc et Manfredi laudantur tempora regis,
  Tempora divisæ candida Trinacriæ.
Hîc ignem expertus dulcem, aut expertus acerbum
  Ante suam dominam quisque canebat eques.
Plaudebant proceres, solio plaudebat ab alto
  Rex ipse; at vati serta parabat Amor:
Sæpius et dominam grata pietate faventem
  Fertur amatori conciliasse suo.
Felices animæ! quos excipiebat aperto
  Herba toro, gelidis aut nemus in latebris.
Quis tamen antiquis ferat excessisse nepotes
  Moribus, et caussas inseruisse graves?

Anxia difficiles invasit cura maritos
  Culpantes læsi fœdera conjugii.
Hinc furor, hinc acies, et operta vulnera fraude,
  Et subitæ species mortis, et omne nefas.
Dicat Ariminei conjux Francisca tyranni
  Cura minax quanto detonet exitio.
Infelix! Paulli pendebat ab ore legentis
  (Cognato hic illi sanguine junctus erat).
Reginam arguti referebat pagina libri
  Oscula flagranti sponte dedisse proco.
Oscula Franciscæ simili ratione ferebat
  Inludens roseo fervidus ore puer.
Turbidus elato super advolat ense maritus,
  Atque uno ignaros immolat interitu.
Quid caveant miseri queis sunt hæc gaudia cordi,
  Insanus fratrum si timet ora furor?
Ast ego tam duri finem miseratus amoris
  Abstineam labris labra premenda tuis.
Tu contra absistas me blando incendere risu
  Franciscæ exemplo facta puella gravis.

Quando erit ut misero statuatur finis amori,
  Et mentem obsessam somnia pulsa levent?
Hoc Phœbum, et Musas jamdudum poscimus omnes,
  Avulsi egregiis turpiter a studiis.
Sed neque Parnassus, nec habent penetralia Deli
  Quod queat insanam pellere tristitiem.
Hanc ego quæsivi dominam juvenilibus annis,
  Hanc et maturis noscere cogit Amor.
Ille jubet densa trepidos concurrere nocte,
  Ille jubet lacrimis oscula mixta dare,
Et solo dudum contentos vivere visu,
  Aut breviter dicta ferre salute pedem.
Has ad delicias, hæc ad solatia furtim
  Mittimur, et quamvis parva, cupita tamen.
At nunc a vanis fas est resipiscere curis,
  Deficiat Phœbus, deficiantque Deæ.
Ipse mea virtute potens cohibentia frangam
  Vincula, credulitas quæ leviora facit.

Abdidimus studiis animum melioribus, ut jam
  Esset lascivo nullus ab hoste timor;
Elusi tamen indignos excepimus ictus:
  Oh valeat studio parta medela meo.
Nunc tu, si quid habes divinæ ab origine lucis,
  Mens bona, me cœcum redde benigna mihi.
Pergo volens: pueri non sunt stipendia tanti,
  Prætulerim ut laudi perditus ista tuæ.
Pulcra quidem Daphne est, animoque simillima formæ,
  Nec mihi blanditiis, nec mihi rapta minis;
Pulcrior at virtus, virtutique addita fama,
  Eveniens ipso clarior a tumulo.
Huic studia, huic nervos adhibebo impensius omnes,
  Ne mala me posthac tangere lingua velit.
Imo age, et hunc ipsum, qui me torquebat, amorem,
  Mens sana, ante aras sponte tuas rapiam.
Illic erepto pœnas pro tempore poscam,
  Ictibus et nostris victima cæsa cadet.
At tu dum sacris alacres operabimur istis,
  Verte alio, Daphne, verte pudica pedem:
Ne me proposito nimium tua cognita forma
  Dimoveat lacrimis conciliata piis.
I procul: hac una flecti metuemus ab hoste:
  Scis quoties fecit me tua forma levem.

AD EUSTATIEN
de Daphne.

Quæ tandem ea sit Daphne, quam depereo,
  Cujusque nomen tot committo paginis,
  Es colloquendo sciscitata pluries.
  Dicam libenter quod hucusque silui.
  Tua est unius consobrina sanguinis:
  Namque avus ejus tuaque jampridem avia
  Fratres fuerunt ab îsdem parentibus.
  Mox tuus ab hac est genitor in lucem editus,
  Vatum magister, vatum antistes omnium
  Sermone quotquot nunc agunt italico:
  Pharmacopolam sed iste avus progenuit,
  Unde illa est orta Daphne quam depereo.
  Amorem, siquá pote, jam carpe nunc meum.

IN AMOREM DAPHNES.

Incolumes magno jam tandem evasimus igne;
  Jam satis est alios posse docere fugam.
Sensimus in geminis quid sit spem ponere ocellis,
  Et petere hinc caussas lætitiæ ac lacrimis.
Nunc valeo, videorque valere: ah! Dii quoque faxint,
  Ut possim, ut videar mente valere diu.

In aniculam.

Heu qui blanditias declinare debebam,
  Ut nauta fugit ingruentes procellas,
  Deceptus jacui, quodque nunquam erubescam
  Satis, sic misere jacuisse vix pœnitet.
  Habes, putida, me me fusis quod lacrimis
  Furens rogasti, palam ut diceres tuum,
  Vulgasse longúm non lætaberis tamen
  Latere tacito quod debebat in sinu.
  Vale putida loquax; ille avolat tuus:
  Nec jam redibit, pœnitentem inaniter
  Non si Cupido convolârit ad Psychen.

AD LEUCEN.

Hoc me solabar, pollicebar hoc mihi,
  Malas oblita curas, et graves metus,
  Tandem ut conjugio tuta gauderes meo.
  Procul parente et patria sustinui diu
  Servire ceteris, imperarem ut tibi.
  Sed quid dixi imperare me? potens tui
  Imo ipsa ut imperares denique tibi.
  Voti compos nil ultra cælites rogo
  Concors maritus, et pulcræ prolis parens;
  Quam si licebit libera pace bonis
  Effingere, atque imbuere artibus ingenî,
  Satis beata sorte, sat longa die
  Usus videbor, et exhausto spiritu
  Libens in gremio lumina claudam tuo.



LUGUBRIA.

In obitu
STEPHANI ANTONII MORCELLI.

Etsi me patrii muscoso in margine Sinni
Vix tandem raros meditando extundere versus
Mirentur silvæ, et cycnis desueta Padusa,
Non tamen ingenti numeros, aut verba dolori,
Nec tibi, sancte senex, ea dona extrema negârim.
Nos etiam ingrato perstrinxit murmure fama,
Ausoniis qui non externi vivimus oris.
Quod si nec patriæ liceat mihi dicere laudes,
Disjectosque duces, inimicaque regibus arma,
Solus amem lacrimas, nec sint mihi funera parvi;
Tempore namque isto funus quod tristius esset?
Felix sorte tua, et melioris munere vitæ,
Quem non Hesperiæ sonitu tenuere ruinæ.
Tu modo trans nubes, transque aurea sidera vectus,
Qua tua te virtus, atque optima facta vocabant,
Non tibi de spoliis populorum præmia poscis,
Nec miseram fuso laudem de sanguine sumis,
Sed quas certatim capiti imposuere coronas
Et veterum studia, et Latii sermonis honores,
Et priscis monumenta notis incisa, beatus
Ostendis, medioque ingens adsurgis olympo.
Te nullæ exercent curæ: tibi panditur æther
Arduus, immensique patent penetralia cæli.
Illic res Italas hominum Sator ordine certo

Digerit, et numero venturos mittit in annos.
Dic age, namque vides, veteris pro culmine famæ,
Et domitum late frænis cohibentibus orbem,
Quid sperare jubet? quid de se dulce receptæ
Promittunt artes, vel quæ fausto omine sub te
Invenere diem linguæ decora alta Latinæ?
Nimirum hæc coluit rerum quam maxima Roma,
Quæque triumphatis penitus gravis urbibus olim
Horrendum intonuit, legesque, et condita dixit
Fœdera, nunc raris sedet intermortua labris,
Et male parentes nequidquam personat aures.
Nec pudet Ausonios propria illam dicere terra
Externam, duri et duris dignissima pubes
Imperiis! quos nec majorum ea magna voluptas,
Nec peritura tenet cum lingua gloria nostra.
Sed quid ego hæc? Latium dum, te Morcelle magistro,
Eloquium raptas inimico tempore sedes
Jam recipit, veterisque nitet splendoribus auri.
Nec minus interea desuetos marmora cultus
Ostendunt, pulsam titulis referentibus artem,
Auspice te. Felix nimium Saturnia tellus
Laude tui, si mox læta de prole sequentur
Nomina magna virûm saxo signanda pereuni!
Ergo alacres tibi jam tanto pro munere terræ
Adsurgunt, quas et Rhenus, quasque alluit Ister.
At qui cæruleum Tamesim bibit accola magnô
Scita parat, doctis per te quæ tradita chartis
Nulla dies umquam memori subduxerit ævo.
Salve, sancte senex, superis decus addite, salve.
Nos patria ex humili deductum carmen avaros
Mittimus ad cineres, fletumque ciemus inanem.
At cælo si forte tuas referentur ad aures
Exigui sonitus, et mœstæ murmura vocis,
Has lacrimas, atque hunc, oro, ne despice luctum.
Quippe, ubi te duri rapuit vis improba leti,
Erramus cæcas proprio sine sidere noctes
Solliciti, ne munditias vestigia ruris
Invadant iterum: Latiæ serva altera linguæ
Incrementa, pater; laus hinc tibi magna paranda est.

Floreat Ausoniæ revocatis artibus ingens
Gloria: conversis permittat cetera fatis.

In obitu
STEPHANI BONSIGNORII.

O rebus natæ ornandis secedite, musæ;
  Auctor erit mihi nunc carminis ipse dolor.
Quantum aluit virtus, quantum sapientia, quantum
  Relligio sanctis excoluit studiis;
Omnia magna rapi graviter sene vidimus uno,
  Cui similem vix heu sæcula longa ferent.
Si vestrum est munus, superi, bonus et sapiens vir,
  Cur potius misero non caret interitu?
Octavum decimo Stephanus super addere lustrum
  Adproperans imo labitur in stadio.
Durando seros quantumvis vixerit annos,
  Mors sua, quo præcox usque vocetur, habet.
Ille, Faventinæ qui sacra capesseret urbis,
  Regali quondam venerat Insubria.
Illius adventu lætata Faventia tunc est,
  Quantum obitu in lacrimas nunc resoluta dolet.
Namque senem pietas jam tum comitata, fidesque
  Insignem solio constituere sacro.
Præterea integritas justi verique magistra,
  Doctrinæque haustus quá patet omnigenæ.
Quæ simul optatæ retulerunt munera pacis,
  Quamquam ira atque armis omnia plena forent:
Munera quæ, sævi cessatum ut crimine belli est,
  Flevimus heu fati diffluere invidia.
Nota loquor: male cum miseros insania cives
  Alterum in alterius verterat exitium:
Qualis ubi infidis discordia fratribus exit,
  Nulla intacta manent jura, nec ipsa domus;

v. 11. *Stephanus* etc. Antistes optimus decessit Faventiae cum esset annorum ferme LXXXVIIII.

v. 15. *Ille* etc. Anno MDCCCVIII. Stephanus Bonsignorius domo Busto Arsitio, incola Mediolanensis, ad sedem honoris sui progressus, omnibus laetitiis Faventinorum exceptus est.

v. 25. *Munera* etc. Pace rerum Europae parta anno MDCCCXIIII, quies urbis Faventiae fato inenarrabili pessum data est, odiis et caedibus civium consequentibus.

Digitized by Google

Ira furit, natura refringitur, arma coruscant:
(Dii capite in merito tot renovate mala!)
Ille autem infandos quo tum compesceret æstus,
Quid voluit fecisse, aut facere instituit
Dicite (namque aliquis certe scit) dicite, cives,
Quod verum est: quamquam id dicere nil opus est.
Testantur lacrimæ, et permota luctus in urbe,
Matura et meritis gloria, morte obitâ.
At tibi, hyems, male sit quocumque immitior hoste,
Quæ potes hunc urbi sola patrem eripere;
Eripere atque mihi columenque decusque juventæ;
(Dulce est ætatis ver memorare meæ)
Cum me doctifico turrita Faventia claustro
Detinuit, studiis instituitque bonis.
Ille dedit mentem, et priscæ vestigia laudis
Persuasit nullis deserere illecebris.
Mox cupide hac ipsa docuit me laude potiri,
Et pretium ingenio quærere nullum aliud.
Sæpe inde et trepidis æqualibus ostendebat,
Optantem studiis præmia prima meis.
Sed quorsum hæc? lacrimas virtus sublata reducit,
Et desiderium tot benefacta movent.
Salvete egregii, salvete antistitis ossa:
Vos ego qua possum voce, animoque colo.
Nec quod posse datur meritis insignibus æquum est:
Solvere plura nequit, sed tamen optat amor.

IN OBITU JULII PERTICARII.

Cum procul ad superas migraret Julius oras,
His Sophie questa est vocibus Ausonia.
Hei mihi quam rapido explevit sua tempora lapsu
Sidus, ad optatam quod mihi fulsit opem,

v. 9. *At tibi, hyems* etc. Vir desideratissimus ereptus est VIIII kal. Januarias anno MDCCCXXVI, tempestate citra morem rigente.

v. 13. *Cum me doctifico* etc. Auctor ab anno MDCCCVI ad annum MDCCCXIII aetatem egit inter alumnos Seminarii Faventini, quod *doctificum* licet appellare, quum inde disciplinis quibusque optimis imbuti prodierint Vincentius Mantius, Aloisius Valerianius, Dionysius Strocchius, Pellegrinus Farinius, Caesar Montaltius, aliique praestantissimi, quos Italia suspicit.

Digitized by Google

Cum fera gens, patriam meditata exscindere linguam,
  Infecit pingui flumina pura luto.
O quas discedens spes tecum abducis, Iule;
  Heu fera gens miseræ quæ mihi damna parat!
Jam ruet, et pulsas te vindice conseret umbras,
  Atque aget obversum per nova culta pedem.
Cui Sophia: heus, absiste metu; si cessit Iulus,
  Et socer, et conjux integra vivit adhuc.

DE EODEM PERTICARIO
ad Constantiam Perticariam Montio natam uxorem ejus.

Tempora, dicta graves durando vincere curas,
  Prætereunt, miseris suadentque oblivia rebus,
  Nec dum etiam lacrimis parcis, Constantia, necdum
  Cessantes imo depellis corde dolores.
  Quid struis in fatum? jam torrida diffluet æstas,
  Autumnusque aderit, teque in tua damna furentem
  Nequidquam longo aspiciet tabescere luctu.
  Pone modum; namque hoc tentando incendere vulnus
  Nec tibi, nec superis æquum est, nec jam tuus ille
  Julius optârit, medio qui clarus olympo,
  Si quis cœlicolas tangit labor, hoc dolet unum,
  Quod te conjugio dejectam, et dulcibus ulnis
  Tristis amarities totos sinuata per artus
  Accipit, et morsu tacitam pervellit acuto.
Curarum exhaustum satis, indultumque dolori est.
  Testis ager, regioque viæ, tumulumque recentem
  Qui videt, et vitreo gemitum ciet ore Metaurus,
  Atque tuas lacrimas avidi confundere lympha
  Sapis, et in patrio luctu minor actus Isaurus,
  Et Rubicon, et qui parvo fugit agmine Rhenus;
  Ante omnes ima Æmiliæ revolutus ad arva
  Sinnus, arenosam qui temperat amne Padusam.
  Ille tibi optatos antiquâ in sede recessus

v. 24. *Testis ager* etc. Constantia Montia, casu inopino exanimis, de recessu Constantiano in finibus Fanensium, ubi conjux desideratissimus decessit, Bononiam progressa est, unde Lucum ad oram Sinni fluminis divertit, ibique moerore profligata apud propinquos et amicos aliquandiu substitit.

Præbuit, ille umbras et amica silentia luctus,
Meque tibi comitem adfixit, sociumque malorum.
Vidi ego cum tota deperdita mente jaceres
Invisæ penitus pascens fastidia vitæ,
Cumque oculos defixa solo, niveaque reclinis
Cervice ad mutos obtutu tendere manes
Velle videreris, capitisque in imagine cari
Deficeres, mœsto nequidquam affata furore,
Atque iterum totis in fletum viribus ires.
Oh quoties lacrimas subjecta luce micantes
Jam teneros implere sinus, jamque ora rigare
Aspexi his oculis, gemitusque his auribus hausi!
Aggressus quoties verbis lenire dolentem,
Et medio tecum ad lacrimas sermone trahebar!
Nil tamen aut fatum flendo diffinximus atrum,
Aut immaturum turbavimus ordine casum.
Quisque suos obitus debet, nec morte carentem
Lingua virûm justis ornavit laudibus unquam.
Invidiam premere, et cælum virtute pacisci,
Hoc agit, et vita sapiens nil ducitur ista.
Ille quidem pulcra properatam laude coronam
Arripuit meritis, et fama sæcula vincet,
Qui veteres cultus, numerumque, modumque tenendo
Scriptorum docuit servare exempla priorum;
Qui magnum, Eloquii revocato nomine, Dantem
Defensum dedit Ausoniæ, sæclisque futuris,
Obductumque odiis patriæ patefecit amorem.
Tam bene si chartis sibi consulit, an querar ultra
Invidisse necem, propriis ut redderet oris
Sermonem patrium, ductasque ab origine voces?
Sit qui pergat iter, monstrataque culmina tangat.
Sit qui flore tegat tumulum, decoretque supremis
Muneribus, titulum describens marmore: tuque,
O decus Italidum, cujus Rosa carmine gaudet,

v. 24. *Sermonem* etc. Haec porro vir clarissimus tum maxime persequi instituerat, cum morbo interceptus est, cujus vi decessit VII kal. Jul. anni MDCCCXXII.

v. 34. *Rosa.* Quae *de Rosae origine* italicis numeris lusit Constantia Montia concinna adeo, et ad modum disciplinae probabilia absoluta sunt, ut ad optimam Politiani laudem pervenire, ne dum accedere videantur.

Quando hoc ingeniumque tuum, nomenque, pudorque
Conjugis, et patria, et genitor clarissimus optant,
Jacturam tanti reparando suffice casus,
Et cane, nam cantu curæ minuuntur acerbæ.

DE ANTONIO CANOVA.

Te quoque non impar nostro mors atra labori
Eripuit, Canova, orbi, cæloque Latino
Explentem ingentis numeros, et nomina famæ.
Nec tu, qui nôras saxis inducere mentem,
Sive hominum efferres vultus, seu numina Divûm,
Artibus hanc notis cohibere, et sistere saxo
Immotam, aut nigras potuisti vertere sortes.
Non tamen, ut misero meliorum funera casu
Densentur, magnis venient oblivia factis;
Aurea nec cæli dum sidera vertice tanges,
Optabis meritis majorum præmia laudum.
Namque novos ausus operum, perfectaque signa
Grajorum exemplo quæ vis, quæ tempora solvent?
Quis sileat quantis rerum portenta lacertis
Artificum lingua, et studiis celebrata minorum
Sustuleris, quáve ire sacras monstraveris umbras
Transfuga, nequidquam turba intra septa vocante?
Ut rursum in proprias sedes acceptus Apollo,
Mediceamque Venus cælo quæ prætulit aulam,
Atque omnis chalybe in rupes operosa vetustas
Imperium, et raptos ferrent, te vindice, cultus,
Compositamque suis firmarent legibus artem.
Unde Polycleti memorantur pectora fama,
Praxitelisque humeri, et teretis capita alta Myronis,
Phidiacusque labor, cæsoque inolescere saxo
Contentæ species animorum, et fallere sensus,
Ingenium musa ad formas tollente Deorum.

v. 12. *funera densentur.* Annorum sane infaustissimus fuit iste MDCCCXXII quo, ut plures alios mittam, Julium Perticarium, Paullum Rufinium, ac novissime Antonium Canovam ereptos deflevimus.

v. 22. *Apollo.* Apollo hortorum Vaticanorum, qui Lutetia Romam advectus, nunc iterum in museo Vaticano visitur.

v. 27. *Polycleti pectora.* Vetus artis scitum hoc est, sculptori ad summam laudem contendenti pectus Polycleti, brachia Praxitelis, caput Myronis etc. imitanda esse, et totum opus arte Phidiae elaborandum.

Nec tu equidem superis, longe hinc digressus, ab oris
Multum aberas magno genitum Jove Persea versans,
Anguicomumque caput, squalentiaque ora Medusæ,
Surgentesque iras docti de vulnere scalpri:
Cumque almam in saxo faceres spirare Dionen
Ludentem audaces rigidæ subtemine pallæ:
Mox etiam instratam maculosa nebride Dircen,
Sopitum et Latmi sub rupibus Endymiona;
Tum Paridem Phrygio lætum procedere cultu,
Qualis in Idæo conspexit vertice Divas.
Atque ego te pugiles in verbera sæva ruentes
Crediderim trepidi duxisse e pulvere circi,
Ut Vaticani constarent culmine montis,
Et tua venturo ferrent miracula sæclo.
Sed non quisquam hominum, neque Divûm æquaverit ullus
Complexum Psyches, dignamque Cupidine formam;
Quamquam ingens latis humeris Tyrinthius exstet,
Atque Hebe æterno lætetur flore juventæ,
Ambrosiamque Jovi subjecto misceat auro.
Illa jacet, dioque sinus dum pandit amanti,
Blanditur capite, et venienti brachia tendit,
Brachia, namque oculos nox, et lex dura vetabant.
Interea rapidis adstans a vertice pennis
Cervicem niveam flagrantia ad oscula flectit
Nudus Amor, positæque premit jam virginis ora:
Obducit Veneri invisas Deus æthere flammas.

v. 2. *Persea.* Perseum Medusae caput laeva efferentem magnus Canova iterato effinxit anno MDCCC.

v. 5. *Dionen.* Memorare hic accidit Venerem illam Canovae quam *Italicam* vocant, cujus pallam diducere qui putant, ut nudam cernant, marmore decepti ludibrium debent.

v. 11. *pugiles.* Par pugilum nobile Creugas et Damoxenus, de quibus vide Pausaniam lib. VIII. Horum signa Canovae manu perfecta museo Vaticano inlata sunt.

v. 17. *Tyrinthius.* Simulacrum Herculis Lycam jacientis Torlonia dux Romae adservat in aedibus suis. Heben vero exemplis quatuor Canova exsculpsit, quorum novissima Cavdorio viro nobilissimo Londinum, et Veronicae Guicciardiniae comiti Florentiam concessere.

v. 20. *Illa jacet* etc. Nimirum his designare aggressi sumus Canovae symplegma laudatissimum, quo Psychen supinam et Cupidinem reclinatum ingenio, et opere plane admirabili effinxit. De eo plura si requiras consule Cicognaram (*Storia della Scultura*, *T. III. pag.* 251.)

Digitized by Google

Quid memorem simulacra virûm, fundataque templa,
Ductaque per tenuem speciosa toreumata pulsum?
Quid memorem tabulas (tabulis nam tempora fallis),
Totque operum moles, tam multa efficta cavando
Marmora, quantum aliis longos labor esset in annos.
Inde petunt reges celsis decora inclyta tectis,
Quicumque Europæ, et circum resonantibus undis
Impositi junctæ tutantur fœdera pacis;
Deque tuis manibus, longæ prope laudis egentes,
Marmoreos stare, atque altis dormire sepulcris,
Et durare tui poscunt sub numine cæli.
Gaude igitur gaude, Ausonia, atque insignis haberi
Hoc etiam nato magnum tibi ducito, quod vix
Sit regere, et latas nova sub juga mittere terras.
Tuque prior gaude, Adriacis intersita saxis
Urbs Venetûm, talem Ausoniæ quæ mittis honorem.
At te, Roma potens, docto data mater alumno,
Hunc plausu comitare decet, dum fulgidus alto
Invehitur cælo, et manibus cava nubila scindit.
Nos vero, quibus adspirans in pectore musa
Suadet abire solo, atque auras mulcere canendo,
Si querulos unquam contingat vincere corvos,
Incensam audemus stimulare in carmina mentem,
Et decus Ausoniæ sæclis inferre futuris.

IN OBITU VINCENTII MAZZÆ
ad Laurentium Mazzam fratrem.

At nos præcipiti lndimur exitu
Fatorum; volucri vix pede tendimus
In cælum, retrahit sæva necessitas
Urgens exitio gravi.
Atqui nec meritis laurea crinibus
Implexa, aut celebri gloria nomini
Fidens, nec pietas magna ruentibus
Ulli sortibus est moræ.

v. 1. *fundataque templa.* Adjectum hoc est de templo quod Possanii regio prope sumptu Canova fundavit, magnaque ex parte vivens perfecit.

v. 3. *tabulas.* Subcisiva opera Canovam pinxisse ad animi relaxationem, neque exiguam hinc laudem adeptum esse, testatur Cicogoara in ea laudatione, quam de Canova habuit postridie idus octobris anni MDCCCXXII Venetiis in aedibus sodalium bonis artibus excolendis.

Digitized by Google

O si quid Sophiæ cultus, et integris
Tardaret studiis Justitia, aut Fides,
Ereptum Lycidam non ego tristibus
Urgerem citharæ modis.
Quæ dulcem Lycidam sustulerunt tamen
Immatura hodie, seu mihi, seu tibi
Cras matura cadent funera, nec diu
Parcent fata superstiti.
Num tu quod Lycidæ, quod mihi, quod tibi
Utendum dederint reddere fleveris?
Defendes lacrimis heu male, singuli
Certa quod luimus vice.

In obitu PETRI MATTHÆI ZAPPII *cæci custodis et institutoris pueritiæ nostræ.*

Nec te mutantem gressus monitore bacillo
Distulit in seram mors truculenta diem.
Cui bene plagoso nil non debere fatemur
Edocti primis ludere literulis.
Si quidquam studiis posthac profecimus, a te est:
Te sine, si qua est hinc, laus mea nulla foret.
Quam vellem his etiam studiis, hac laude carere,
Sors tua si fuerit sic reparanda mihi!

DE ENNIO QUIRINO VISCONTIO.

Hic terra in patria, cinerem namque hospita servat
Gallia, te vacuo tumulo, geminisque coronis,
Docte Enni, et sero meritorum ornamus honore.
Quidquid enim antiquæ defossum est laudis et artis,
Quidquid adhuc scriptis obscurum offenderat ætas
Nequidquam mirata, tuo de munere tandem
Planius ac melius didicit, fruiturque repertis
Deliciis. Tenui sic filo juncta teneri
Ostendis studia, atque uno simul agmine ferri:
Sic veterum fragmenta bonis servanda magistris
Esse, velut medicis humani corporis artus;
Unde decor, modulique petantur, et omnia, præter
Ingenii flammam, quam mentibus addere dono
Vult Sator, et terris astrorum imitarier ignes.

AD KAROLUM EMANUELEM MUZZARELLIUM
XII *virum sacri consilii litibus judicandis pro conventu habito a sodalibus Latinis memoriæ ornandæ Francisci Cancellieri V. C.*

KAROLE, qui magis Aonidum sis laude probandus,
  An magis officio justitiæ, ambiguum est:
Quid me vis lacrimas Romana ad funera ferre
  Cunctantem extremis finibus imperii?
Maturo interitu si Cancellerius omnem
  Proterit invidiam, serus et astra petit,
Non ego lacrimulam possim depromere ocellis,
  Nec possim ullam animo tristitiam induere.
Nænia lætifico non est adhibenda triumpho,
  Nec bene cælicolis tristia verba sonant.
Quam potius, nostris æquum si viribus esset,
  Spectatum ingenti sedulitate virum,
Ingeniumque capax, animumque antiqua tenentem
  Omnia, præclaris laudibus extulerim.
Addiderim et doctis exstructa volumina chartis,
  Immensus potuit qualia ferre labor:
Scriptaque præterea pedibus compacta Latinis,
  Delicias olim, Roma magistra, tuas.
Quæ tamen et coram dum vos memorare paratis,
  Jam vereor, vere ne minus ipse loquar:
Sin: procul adveniens, certe adsim tardior isthîc,
  Complexus famæ murmura carminibus.
Me sinite idcirco tacitum post septa latere,
  Et quæ quisque ferat combibere auriculis.

v. 4. *finibus imperii.* Auctor haec pangens Bononiae versabatur in finibus dominationis Pontificiae.

v. 5. *Maturo interitu.* Franciscus Cancellierius Romae summa senectute decessit exeunte anno MDCCCXXVI.

v. 15. *volumina.* A Cancellierio praecipuum est opus *De Secretariis Basilicae Vaticanae* voluminum IIII, eruditione admirabili, omnique memoria antiquitatis instructum.

v. 17. *Scriptaque.* Carminibus quoque jungendis operam dedit Cancellierius exemplo institutoque Julii Caesaris Cordarae auctoris sui, cui dum vixit acceptissimus exstitit.

v. 19. *coram dum vos:* sodales nempe Latini Romae consistentes, quorum in conventu elegi hi nostri recitabantur.

Digitized by Google

Rite pios plausu excipiam; et te, Karole, primum,
  Cujus amicitiam millibus antefero:
Carmina cui fateor debere interlita melle,
  Quæ quoties relego, tunc mihi vita redit.

AD CATHARINEN FERRUCCIAM
de obitu Lucæ Stullii Ragusini.

Stullius ut nostro resonet quoque carmine, magnis
  Æquandus medicis arte animoque, jubes.
Id facimus, quodque et jubeas, quodque ipse feratur
  Laudandus multis in patriam meritis:
Atque hoc præcipue, diram quod maximus auctor
  Pure salutari comminuisse luem
Monstrârit, pueros quæ vix incuntibus annis
  Depravat misere, aut præcoce morte rapit. (*)
Clarum opus atque pium! Stulli, tibi querna corona
  Servatis dabitur civibus. Atque aliqua
Ad tumulum veniens nato cum sospite mater
  Orârit pacem, dixerit et lacrimans:
Disce locum Stulli, qui præstitit arte benigna
  Et formam et vitam, nate, tibi incolumem.

In obitu repentino
LIVILLÆ DIONYSII F. STROCCHIÆ.

Livia, quo raperis letali prodita somno,
  Virgineus cum vix surgeret ore decor?
An Veneris claro inferri te contigit astro,
  Unde prius visa est forma venire tua:
An nobis doctæ invidit te stella Minervæ?
  Hæc operum studiis, hæc erat ingenio
Apta tuo sedes; sed non ut flore sub ipso
  Laudis ad hanc subito sic revocanda fores;
Non ut confluerent lacrimis fratresque, paterque
  Et mater, quos nunc te genuisse piget:

v. 3. *Carmina* etc. Ægrotanti mihi Muzzarellius, qua est humanitate, oden misit Sapphici numeri sermone italico conscriptam, quam legere est in libello cui titulus: *Rime inedite di Poeti viventi ecc. Roma* 1826. *Olivieri.*

(*) Teterrimum nempe malae pusulae contagium, quod Stullius, ex invento Jenneri, apud suos deterere instituit magno studio, magnisque sumptibus.

Munera cælicolûm qui, te, Livilla, perempta,
Esse negant aliquid, vix data si pereunt.

In obitu acerbissimo
CÆSARIS ANTALDI *pueri*
Anna Tanaria mater sic queritur:

CLARA domus triplici gaudebat prole virili,
Deliciæ cari conjugis, atque meæ.
Cyrus erat festivus, eras, dulcissime Cæsar,
Supra annos prudens, Astor utrumque fuit.
Cum gererem quartum fœcunda pignus in alvo,
Illapsa est medio mors inopina trium;
Meque, virumque, domumque, ablato Cæsare, totam
Non expectatis obruit heu lacrimis.
Quo te, blande, rapit rerum mors pessima, Cæsar!
Inferat ut cælo, non minus illa rapit.
Ut videar sat læta duobus, ut alterum habere
Mox possim; Cæsar non erit ille meus. (*)

(*) Hodoardus Machirellius com. cujus amicitia laetabamur, in sententiam hujus carminis italice haec cecinit ediditque:

La domestica gioja era in tre figli,
Cara delizia del consorte e mia:
Ciro festoso, e Cesar ch' ebbe pria
Senno che etade, e tu ch' ambo somigli,
Astorre. Io già del quarto mi sentia
Grave, e morte fra' tre spinge gli artigli,
E ratta avvien che a Cesare s' appigli,
Noi qui lasciando in doglia acerba e ria.
Perchè in cielo fra gli Angeli ti pose,
Men ver non è che morte ti rapìo,
L' empia morte peggior di tutte cose.
E benchè di due sol lieta abbastanza
Io sembri, d' acquistar Cesare mio
In quel che nascerà non ho speranza.

OFFICIOSA.

STEPHANO BONSIGNORIO.

Moncelli modo conditi ad sepulcrum
Aut sint versiculi, aut meri dolores,
Ad te mittimus optimum patronum
Nec comptos nimium, nec elegantes.
Ad te, Stephane, namque te patronum
Unum versiculi, usque et usque poscunt,
Quo tuti veniant in ora vulgi.
Neu tu versiculos repelle quod sint
Nec compti nimium, nec elegantes,
Et cuique injiciant meros dolores:
Hoc solum sapiunt olentque; comptum
Quid enim solet esse lacrimosis?

LEOPOLDO CICOGNARÆ.

Canovæ hoc ausum ingentes arcessere manes
Carmen ab exigua quod fluit artis ope,
Sit tibi, quem magni reparantem damna magistri
Nil lætata diu suspicit Ausonia.
Ut qui Canovæ ingenium moresque reponis,
Canovæ assuescas laude placere viris.

AD PHILIPPUM SCHIASSIUM
Doctorem rei antiquariæ in Archigymnasio Bononiensi.

Quantum quisquis avum atque patrem, matremque, domumque,
Atque his siquid conjunctius est homini

Diligere est solitus, nos te observande Philippe,
  Diligimus; cupidis imo etiam officiis
Quantum quis colere est pote patronum atque magistrum,
  Nos te prona omni mente animi colimus.
Quippe ubi formandum studiis me docta recepit
  Adjecitque tuis Felsina discipulis,
Expertus sum a te quod vix fecere magistri
  Cuiquam unquam, atque ipsi vix voluere patres:
Ex quo respêxti intento me ex agmine primum
  Audentem calami sedulitate mei
Exstruere acroasis compendia quottidianæ,
  Et subita a rapido scripta legente dare.
Nec quod singultim loquerer, nullusque viderer,
  Tardata est ideo gratia vestra mihi.
Proh superi, quibus auxiliis qua luce juvari
  Contigit, acciri contigit ut propius;
Ut patuere tui penetralia summa recessus,
  Et potui in longo stare labore comes.
Tunc longus labor atque aliquot durandus in annos
  Morcelli excusis venerat a titulis.
Consilii nam sorte tui comptum omne quod illic
  Splendet, et antiqua se probat arte decens,
Omne parastichidem ferri debebat in aptam,
  Constare et propriis perspicuum ordinibus,
Quo sibi quisque dehinc titulorum scriptor haberet
  Quærendo faciles unde pararet opes.
Tunc operi adjutor calamo Mellinus, et ille
  Frater erat tuus, heu! postmodo quem mediis
Flevimus exstinctum curis: proh fratrem et amicos
  Illa illa ut tetigit magna ruina domus!
Grillius inde etiam ad partes censoris acuti
  Venerat, atque una mecum erat innumeras
Ordine conjiciens schedas Cavedonius (orbem
  Subjectum verbo schedula cuique suum
Prætulerat): studiis fervebant cœpta secundis,
  Additum et a juncto fœdere calcar erat:
Sic tamen interdum inciderint ut tædia nobis,
  Cessare et longo fas fuerit stadio.
Tu vero auspiciis prior ingenioque ferente
  Antevolas, nullas te minor ad salebras.

Digitized by Google

Tempore jam ex illo qua me pietate magister
  Aspicias, non est dicere versiculis.
Nec majus vetula ab nutrice exspectet alumnus,
  Nec majus socio spondeat unanimi
Quidquam alius quam quod tua magna et prona voluntas
  Non expectanti detulit ipsa mihi;
Adlatura etiam meritorum maxima, si me
  Sors rerum inceptis siverit esse parem.
Quare, ne seras aliquando reddere grates
  Arguar a magnis obrutus officiis,
Quando aliud nequeunt majoris promere vires
  Ponderis, hæc tibi ego carmina persoliio.
Imo ipsam quoniam ipsa infra sunt carmina mentem,
  Constitui hoc animum includere epistolio;
Ut veniens coram memori sub pectore queis et
  Quot tibi me voveam sensibus edoceat:
Quod si impar sit adhuc meritis amor, obsequiumque,
  Idem animus cumuli stabit, eritque loco.

CÆLESTINO CAVEDONIO
de crustulis appositis sibi ægrotanti.

Natali das crusta tuo mihi dulcia quæ me,
  Cælestine, tibi mittere par fuerat.
Quippe benigne adeo largiris, amiculus ultro
  Te rogat, et cupida te prece sollicitat,
Ut rediens incocta apponas crusta salute,
  Si tibi vis vitam debeat atque animam.

VINCENTIO VALORANIO *medico*
Eucharisticon.

Ingredere, o niveum mensis gratissime taurum (*)
  Qui revehis cælo, Veneris tutela marinæ
  Myrto cincte caput, gravidæ spes altera terræ,
  Ingredere, atque novum rebus novus indue cultum.
  Te segetes, te rura vocant, tibi vina coronant
  Agricolæ, et magna venientem voce salutant.

(*) Auctor Bononiae studiorum caussa cum ageret, peripneumonia correptus vehementer ægrotare cepit IIII idus aprilis anni MDCCCXX.

Tu ver purpureum pandis, tu lumine vestis
Splendidiore dies, atque adventantibus umbris
Nocturnam cæli faciem melioribus ornas
Sideribus, simul et terras, simul æthera lætus
Auspiciis renovare tuis: salve optime fratrum,
Sive geris pluvias, seu puro vertice soles,
Sis bonus, et vultu facilis procede sereno.
Verum age quid versans curarum corde sub imo,
Quidve dolens animo late adfulgentis olympi
Limina perrumpis concepta turbidus ira,
Telaque rapta manu viridi pro fronde coruscas?
At super hæc, torvo lapsus per singula visu
Sanguineas oculorum acies me ponis in uno,
Meque petis qui te venientem paupere versu
Prosequor, o quid triste paras misero mihi, vel quas
Hinc poscis pœnas? Adeon' tibi carmina sordent
Per laudes demissa tuas? en plectra lyramque
Projicio et calamum et chartas: stant hæc mihi parvó
Damna tuum nobis valeant si arcere furorem.
Unum oro, metuende puer, magnum decus anni,
Ne, quæso, ne tende odiis me frangere iniquis.
Hæc ego: sed votis lacrimisque impervius ille
Ardet atrox magis, atque ingentes colligit iras;
Jamque acie intenta plagam sortitus acerbam
In genua orantem nequidquam vulnere certo
Dejicit, atque imo findit præcordia ferro.
Tum vero infusam conjecta cuspide pestem
Paullatim ignotis per viscera serpere flammis,
Et penitus cæcum membris inspergere virus.
Ah pereat ferro quicumque intincta venena
Contorquens tumidas impune ulciscitur iras.
Uror ego infelix, jamque ossibus accubat imis
Caussa mali, et nullæ possunt depellere vires.
Ausus quin etiam latos reptare per agros
Saucius, herbarum siqua hinc quæsita potestas,
Siqua manus venis inimicum excluderet ignem.
Sed neque me silvæ, nec prata salubribus herbis,
Nec juga, nec medicæ juvere in vulnera dextræ.
Jamque adeo ad terram revolutus corpore fesso,

Haud dubiam in mortem claudebam lumina, quum me
Objecit, Valorane, tibi Deus ille medentum
Atque poetarum, curas qui demere cantu,
Judicioque manuque idem convellere morbos
Instituit, roseoque hæc insuper addidit ore:
Macte age, et hunc nobis juvenem, fidissime, serva,
Qui mihi se jam inde a teneris commendat ab arte
Carminis, et nostros studiis incendit honores.
Quidquid opis medicæ, quidquid solaminis ægro est
Largior; at morbum tu contra obtunde premendo
Impavidus: vires tibi sufficit auctor Apollo.
Sic ait, atque suo cupidum te numine firmat.
Tum vero affatu Phœbi, monitisque secundis
Tentare auxilium ingressus, me vulnere fessum
Respicis, et nota solatus voce jacentem
Ipse jubes misere amissam sperare salutem.
Haud mora sanguinea feriendas cuspide venas
Edicis, namque hîc morbi cubat ira furentis.
Præstat edax vitium admoto compescere ferro,
Sanguinis atque vias omnes reserare secando,
Quam semel accepta furialis labe veneni
Cessare, et diras cunctando pascere flammas.
Jamque rubescebat bibulis cruor undique linis,
Nec dum etiam exciderant fibris incendia, nec dum
Fulserat ulla salus; quin multa horrenda monebant
Obsessæ fauces, et anhela pectora tussi,
Ater et exiguo venæ de vulnere sanguis.
Hîc ego nescio qua trepidus formidine mortis:
Quam tandem, Valorane, viam potiore sequemur
Consilio, quando his rapidi inclementia morbi
Sufficit? exsuperat tumidis vis ignea nervis,
Fare age, et o certam morituro edissere mortem.
Tu nihil; et tota defixus lumina mente
Tentabas tacitus salientis verbera venæ.
Tandem pauca refers: ego te nec tabe veneni
Conficier, media immeritum nec morte teneri
Dissimulare ausim; si quis tamen hæc Deus ullis
Observans oculis faveat bonus; hæc ego fata
Vertere, et hanc sperem venis effundere pestem

Pollicitus meliora; iterum laxanda cruoris
Est via: tu trepidis animo ne defice rebus.
Expedior rursus, protentaque brachia ferro
Subjicio, atque iterum patefacto vulnere venæ
It cruor, et saniem lento trahit agmine, et atram
Turbidus illuviem; juvat ima invadere morbi
Effugia, et totis extrudere viribus ignes.
Donec flamma mali posito dilapsa recessit
Corpore, et assiduo pulsans pavor ilia ductu.
Tum lassis stupor infusus concrescere membris,
Et mentem placidæ paullatim adhibere quieti.
Ecce autem in somnis opifex Hygiea salutis
(Credo equidem Phœbo demissum numen ab æquo)
Sideris in morem liquida mihi nocte refulsit
Munditiis simplex et puro splendida cultu.
Illa latus niveum palla succincta decenter
Dictamno atque rosis crinem insertabat odoris,
Nuda pedem, nudos ostentans dia lacertos.
Haud aliter parvi virguncula ruris ocellus
Emicat ante omnes, et conscia munere formæ
Ipsa sibi cupide adridet, graditurque sequentum
Corda trahens calefacta, etiam sub matre severa.
Ut vidi agnovique Deam quam sæva tremiscunt
Agmina morborum teretes sine fraude colubros
Tractantem, summa paullatim adnixus opum vi
Procumbo supplex, et sanctum numen adoro,
Inde etiam exigua aggressus sic voce precari:
Diva Hygiea decus cæli, justissima cura
Solis avi, proavique Jovis, quando æqua dederunt
Fata tibi optatam miseris properare salutem,
Aspice me, quem dira lues ad tristia poscit
Supplicia insontem, nostroque medere labori.
Non equidem vel me, fateor, mala sidera terrent,
Vel mortem horresco, quam serius ocius istam
Sortiti lucem plenis occumbere fusis
Cogimur: at magno vitæ ulterioris amore
Me facit incensum genitor dulcissimus, ipsam
Fortuna breviore domum qui contrahit, ut me
Suscitet in studiis, verasque educat in artes,

Unde sibi atque aliis bene vivere discitur, unde
Fidere virtuti, et duram diffingere sortem.
Quod si quid cari tangit te cura parentis,
Spesque fidesque omnis subita turbata ruina,
Tolle volens miserum, præsentique eripe leto.
Illa sub hæc lene adridens sic orsa referre:
Quid me tam sera, juvenis miserande, querela
Obluctantem ultro aggrederis? si par mora nostrum
Hactenus auxilium tenuisset, non ego contra
Sufficerem, fatis late superantibus, una.
Sed tua me pietas, Phœboque accepta juventus,
Gratior et tenero veniens in pectore pulcræ
Laudis amor suasit jampridem indigna ferentem
Respicere, et fessis mature occurrere rebus.
Hinc tibi prima mali requies data, quique medendo
Tardaret fatum, atque obitus differret acerbos
Missus, agente Deo, Vincentius arte magistra
Aut morbos premere, aut cantu deducere curas
Doctus, et a studiis Phœbo dilectus utrisque.
Hujus ope antiquo revocatam more salutem
(Quem multi hesterna dicunt de laude *recentem*)
Aspicies latis vestigia ponere terris
Paullatim, et minimos mortalibus esse labores.
Ille autem merita redimitus tempora lauro
Tandem etiam ad magnum fama succedet olympum,
Et rutilum optabit Cyllenî sideris orbem,
Hippocrates quo lætus agit, doctusque Galenus,
Celsus et ille suus: meritis hîc debita tollet
Præmia quæ magnis virtus spectata periclis
Extulit, atque alta cæli super arce locavit.
Dixerat et tenui sub lucem in nube recessit.
Tum vero arrectus dictis atque omine Divæ
Excutior somno; validis jamque artubus omnes
Exueram morbi formas, et tutus abibam.
Non secus ac nemore in vasto si forte viator
Fraude loci, et tenebris noctis deprensus opacæ

v. 19. *studiis . . . . utrisque.* Vincentius Valoranius medicinae laude Bononiae florentissimus, poësim quoque in deliciis habet.

v. 21. *recentem*, hoc indicavimus scita *novae doctrinae medicae* italorum.

Lustra per et dumos nulla regione viarum
Scindit iter dubium; subito quum semita visu
Certa micat: rapit ille viam spe finis iniquam
Accelerans, donec silva tandem exilit alta,
Et fruitur campis, et aperti munere cæli.

Ante coronatos hæc me cantare penates
Jam volucri ereptum fato recteque valentem
Junius in propriis vidit risitque kalendis,
Quem Cytherea suas dum læta veniret ad idus
Viderat exiguo trepidum discrimine leti.

De editione operum Laurentii Medicei quam Leopolnus II. *Dux Magnus Etruriæ procurare ipse instituit.*

Nempe hoc temporibus dederant bona sidera nostris,
Ut (quod adhuc Medicæ fama decusque domus,
Quod virtus, quodque ingenio laus parta ferenti
Largitum innumeris discupiêre sibi)
Magnifico tandem cultuque et nomine Laurens
Esse hominum in manibus magnifice inciperet.
Hoc autem egregio Leopoldi a munere sumit,
Ipsius egregia sumit et ex opera.
Officium raro exemplo spectabile! vos o,
Quæ juveni junctam sæpe tulistis opem,
Solvite, Pierides, meritorum præmia: solis
Digna Diis res est regia facta cani.
Vos vigili intentum cura vidistis, et acri
Judicio veteres explicuisse notas;
Integer ut proprio Laurens prodiret amictu,
Et foret interpres tutior ipse sibi.
Consilii certe at vestri, Divæ, fuit, ut qui
Laude virûm æquavit sæcula longa liber
Compleret nitidis quadrata volumina formis,
Ipsaque regificum charta moneret opus.
Quæ nimirum omnis longe mirabitur ætas:
Atque aliquis patrii tactus honore soli
Dixerit: — hoc placidæ fecerunt otia pacis,
Otia cordatis usque operosa viris,

Ut qui florenti Italiæ regnabat in aula
Imperio Princeps, corde animoque Pater
Laurentem excultum studiis felicibus orbi,
Atque exoptanti traderet Ausoniæ —.
Magnum equidem! at ceptis quod non majoribus obstet.
Perge agedum, Italiæ o mitior Austriadûm,
Hæc decora, has artes, regnique elementa beati
Provehere: et quisquis gaudeat hac patria
Ille, ubicumque aderit, quoquo lucem hauserit ævo,
Te colet, et nomen discet amare tuum.

IOSEPHO MEZZOFANTIO
Doctori linguæ grecæ et linguarum orientalium.

O quam felici fulget lux omine, nostram,
Mezzofante, domum qua novus hospes adis,
Cui quot sunt linguæ totidem insunt pectore corda,
Candida mens placido quæ regit imperio.
Nempe hoc ingenti monumentum déèrat amori,
Per brumam et salebras ut caperetur iter,
Spectatum exigui muros, et compita Luci,
Quæsitum latebras discipulique tui.
Quid tibi pandemus nos alga, et stipite nati,
Ut non sit nihili nostra putanda mora?
Nil sane antiquum, nudo nî forte labores
De cippo, et sculpti fragminibus tumuli.
Hanc molem, hæc arcis fastigia condidit olim
Borsus, Atestinæ laus columenque domus:
Circa illam ignava dudum se rana palude
Jactavit, stratus qua patet arte silex.
Hunc arcum octavi Clementis gloria servat:

v. 22. *de cippo etc.* in pronao templi Petroniani:
C· ARIEN· · PR· · · ·
· · ARI · · · · ·
Hoc diu multumque haerens vix arripui primus ex marmore penitus obliterato: quod cum Bartholomaeo Burghesio retulissem, vir clarissimus rescripsit ad libertos Ariae familiae pertinere, sic interpretatus:
C*aius* ARIEN*us* PR*imus* (vel) PR*iscus*
· · · ARI*ena* · · · ·

v. 23. *arcis fastigia.* Arx vetus ampliata est, valloque et fossis munita per Borsum, deinde et Alphonsum II. duces Ferrariae.

v. 27. *arcum.* Fornicem nempe quem majores anno MDLXXXXVIII. honori Clementis VIII. P. M. Ferrariam proficiscentis exstruxerunt, dedicaveruntque.

Hoc dedit ex vacuo rure Caraffa forum.
Mercurii quoties redeunt commercia luce,
Illo conveniunt æquore mille boves.
Trisius hîc cives juvenili ætate docendos
Colligit, et studiis imbuit ingenuis.
Spectantes isto miramur sæpe theatro,
Parthenope, scenis digna patere tuis.
Vis etiam ingenii pulcras cognoscere laudes?
Hæc Samachinus protulit, hæc Scaichus.
Pinxerat hîc melior Marchesius, atque Ramengus
Quae mirata nimis Gallia corripuit.
Riccius, Arpinatem infra qui prænitet, hinc est:
Æmulus Alciati Gypsius hîc oritur.
Glaccarus hanc habuit patriam; hanc Manfredius ipse,
Didita vel faveat, Felsina, fama tibi.
Partem hinc præcipuam patriæ Rossinius hausit,
(Editus hîc pater est, hîc avus, atque atavi)

v. 1. *forum*. Francisco Caraffa card. legato provinciae Ferrariensis hoc opus exactum est tum areae, tum peristyli amplitudine admirandum.

v. 2. *Mercurii etc.* Die Mercurii hebdomada quaque nundinae habentur Luci frequentissimae.

v. 4. *Trisius*. Fabricius. Collegium Trisianum ex ejus substantia fundatum est.

v. 6. *theatro*. Per dies nundinarum mense septembri, quotannis in theatro nostro spectacula praebentur musicorum, et pantomimorum apparatissima.

v. 9. *Samachinus*. Pinxit passim per templa urbis, et in aedibus mensae pigneraticiae.

ib. *Scaichus*. In aede Rochiana.

v. 10. *Marchesius*. In aede sodalium Dominicianorum.

ib. *Ramengus*. In aede sodalium Corporis Christi.

v. 12. *Riccius*. Bartholomaeus. De hoc exstat titulus in aedibus publicis, qui testatur eum sua aetate *alterum Ciceronem* nuncupatum esse.

v. 13. *Gypsius*. Lanfrancus. Antiparadoxon adversus Alciatum conscripsit ediditque Ferrariae anno MDXLVII.

v. 14. *Glaccarus* vel *Giaccarus*. Vincentius. De hoc loquitur titulus sub imagine in bibliotheca Collegii Trisiani:

VINCENTIVS · GIACCARVS · SODALIS · DOMINICIANVS
THEOLOGIAE · STVDIIS · DOCTRINA · IVRIS
LINGVARVM · PERITIA · MAGNI · HABITVS
RELIGIONEM · IVSTITIAMQVE · SCRIPTO · ADSERVIT
VERNACVLI · SERMONIS · CVLTOR · EXIMIVS
PASSAVANTIO · ET · CAVALCAE · PARVM · CONCESSIT

ib. *Manfredius*. Eustachius. Luco oriundus, incola Bononiensis.

v. 16. *Rossinius*. Joachimus. Magister modorum musicorum totius Europae opinione aetate hac nostra princeps, quem Gallia praeoptavit, cumulatque ad hanc diem laudibus, et muneribus praeclarissimis.

Lætitiæ effector Rossinius, unde beatos
Europe quanta est combibit aure modos.
Cur diversus agit? cur illum Gallia tardat,
Gallia vel nostris invida deliciis?
Luderet ille suo coram numerosus amico,
Et pretium parvo diceret hospitio.
Quod quoniam minime facere est, hos accipe versus,
Hunc animum, hæc hilaris gaudia discipuli;
Portentum majus qui nullum vidit apertis,
Mezzofante, tui fontibus eloquii.

SODALIBUS ΦΙΛΟΔΡΑΜΑΤΙΚΟΙΣ FERRARIENSIBUS
probatissimas fabulas agentibus.

Mulcemur trepide spectantes, angimur, ira
Ardemus, risu solvimur et lacrimis:
Seu præstet procerum laqueatis crimina tectis
Egerere, atque humili splendida facta casa;
Sive jocos media nebulonum arcessere turba,
Et salibus mores implicuisse bonos.
Quæve Itali male depereunt, proferre theatro
Dramata, quæ torvus trans juga dictat Amor.
At vos naturam fingendo æquatis, ut ista
Quisque velit falli sanus ab arte diu.
Quid fierit vero? quæ post suffragia tollet,
Si rapiunt omnem tam bene ficta fidem?

AD FRANCISCUM CALCAGNINIUM
quum ei Silvia Maffeja domo Verona fauste feliciter nuberet.

Flos Francisce equitum decusque, nae te
Bonus Juppiter ore vidit æquo,
Hymenque et Venus et favens Cupido,
Quorum munere jungeris puellæ
Quam vix quisque deûm sibi negasset.
Namque et flosculus est puellularum
Quotquot collibus educat supinis

v. 18. *Dramata.* Notatur hic anxiferum illud comoediae genus quod trans alpes maximo in honore est. Hoc Itali peregrinitatem mirati adeo delectantur, ut jam vetus illa fabularum nostrarum festivitas et sermo domesticus pene fastidio sint.

Verona, aut prope vitreum lacum, et te
Velox sepositam ad domum sequetur
Nil dulcis patriæ, aut memor suorum.
O Benace Athesisque amœne, jam vos
Nullæ vos habet hæc puella curæ.
Ah vos gloria vestra siquid urit,
Moras nectite candidæ puellæ.
Hîc, o Silvia bella, pone molles
Artus, nam quis agit furor parantem
Externas patriæ anteferre sedes?
Sed nil proficitis, puella fugit
Te, Francisce, virum secuta, qualis
Jocundæ comitem columba vitæ.
Oh quas delicias fidelis illa
Uno in te faciet libidinesque!
At tu vive diu in tua puella
Ex qua deliciæ, libidinesque
Tot surgent tibi quot dabunt puellæ
Hymen et Venus et favens Cupido.

AD FRANCISCUM CALCAGNINIUM ET SILVIAM CALCAGNINIAM MAFFEJO NATAM

Genethliacum in ortum primigeni eorum.

FUSINIANUS.

Qua gelidos aperire lacus, umbramque quietam
Conserere arboribus, falsosque educere colles,
Silvia, Franciscus tendit tuus, æquore ab ipso
Exstitit, et subita concussit imagine mentem
Forma senis quem nullum alias vidisse priorum
Fama tulit rerum; canos sine lege capillos
Ad genua effusus, glaucaque interlitus ulva.
Fusinianus erat, peperit quem cærula quondam
Fluctibus in mediis Sinno genitore Padusa.
Æmula postquam altæ tellus inducta paludi
Devicit matrem, et latis exclusit ab arvis

v. 20. *Quà gelidos* etc. Dicta haec habe de viridario ad praetorium gentis Calcagniniae Fusiniani consito, quod Franciscus march. hisce diebus anglico, ut ajunt, ritu adornare instituit.

v. 27. *Fusinianus.* Quae hic de Fusiniano commentamur veritati historicae prorsus nituntur, quippe Sinno in Padusam procurrente ora illa emersit, qua deinde oppidum constitit.

Illum etiam Gnanæ servantem stagna supinæ
Occupat, et cœco trepidantem carcere claudit.
Interdum tamen antiquas invisere sedes
Fas illi, et faciem genitoris, et humida regna,
Ut longum amissa pro libertate dolorem
Leniat, et sobolis soletur laude futuræ,
Nam ventura videt divinæ munere matris.
Adfuit ut primum huc cum gente Theophilus alta
Venit ad imperium, magnique ad præmia Borsi:
Adfuit utque humili se Cælius abdidit ora
Grajas lætus opes, et opes conferre Latinas;
Utque annis et spe gentis clamantibus illi
Franciscus vacua te nuptam accepit in aula.
Nunc tibi ut extremo fastidia mense levaret,
Magnaque de magna ferret solatia prole,
Ille etiam ad celsas sera sub nocte fenestras
Venerat, atque tibi hæc non exaudita canebat.
Claude libens oculos venienti, Silvia, somno
Quem Sator ipse hominum cæli demittit ab arce,
Ut sobolis tibi per noctem magna omina pandat,
Et decus ingentum laudi non impar avorum.
Aspice ut in tenero stet gratia nobilis ore,
Perque oculos pueri prodat sua semina virtus.
Mitte queri sceptro quod non et torque superbus
Fulgeat aurato, regnumque affectet avitum.
Ille tamen reget, atque animi sua jura volentes
Accipient, cum virtutem venientibus annis
Noverit, et quali constet sapientia regno.
Nam neque per latas glebas armentaque magnis
Suffultum titulis caput ostentare beato
Gaudere imperio est, humerisque insistere vulgi,

v. 1. *Gnanae.* Fossam Gnanam Padusae reliquium Fusiniano adsitam fuisse, et inde oppido nomen contigisse ferunt scriptores.

v. 8. *Theophilus* etc. Anno MCCCCXXV. Borsus Dux Ferrariensium Fusiniani oppidum et agrum Theophilo Calcagninio viro spectatissimo ingentium meritorum praemio adsignavit.

v. 10. *Caelius.* Caelius Calcagninius cujus doctrina Graecas litteras et Latinas complexa est primus Curiae Fusinianensi archipresbyter est datus.

v. 24. *Mitte queri* etc. Rebus perturbatis, exeunte saeculo XVIII, dominatio Fusiniani genti Calcagniniae ablata est, nec amplius reddita.

Digitized by Google

Sed junctas hominum mansuro fœdere mentes,
Atque agere atque datis leviter distringere frenis.
Ast ubi se validis gliscentis viribus ævi
Attollet, jam non pugnas et castra sequetur,
Matribus aut luctum ferro meditabitur ullis;
Nam neque letiferum incendit jam buccina bellum,
Aut agit adversos cognatæ insania cædis.
Ille quidem patriis Pacem veneratus in agris
Frugiferam, mitem, metuentem murmure solvi,
Securus rerum, vulgi securus ab aura,
Palladis aut studia aut nemorensis tela Dianæ
Alterna optabit, meritasque utrinque coronas
Colliget, æquales passus concurrere secum,
Et vocem parce laudantes tollere amicos
Quos metus æternúm clamosa distinet aula.
Si vero dulces libeat cognoscere musas,
Carminaque accepto meditari numine Phœbi,
Quot dabit impulsis numerosa poemata nervis,
Tot sibi Penejo nectet de stipite lauros.
Artibus his juvenem, placidaque adolescere laude,
Si mihi quid veri docto subit, auguror, ut jam
Vocali neque Parnasso, neque saltibus Hæmi
Invideant humilem superantia rura Padusam.
Omnia tum plausu videas consurgere circum,
Lætitiaque novi late gestire poetæ:
Tum steriles verno vestiri gramine ripas,
Arboribus frondes concrescere, fontibus undas,
Sponte sua mites in pocula diffluere uvas
Hortatura leves saltus, moturaque lusus;
Tum choreas pastorum hilares, ignemque puellis
Infestum, sæva inludit cui mente Cupido.
Nascere, blande puer, virtutem atque ora parentum
Qui referes; dulcem debent jam tempora lucem.
Quis Deus, aut quæ mî fortuna indigna negavit
Excipere, et primo dominum cognoscere risu?
At vos Naïades Benaco, Athesique creatæ,
Et vos Adriacum quæ pectore finditis æquor,

v. 34. *Quis Deus* etc. Franciscus Calcagninius Venetiis agebat, quum Silvia conjux Veronae primigenum suum in lucem proferret.

Nascentem puerum vestris tenuistis in ulnis,
Atque etiam gremio trepidantem conditis udo.
Reddite jure meum: patriis incumbere cunis
Jamdudum exposcit; lacrimas audite vocantis.
Vos o vos, nati tangit si cura, parentes,
Eripite, atque suis cupientem inducite tectis.
Ipse oneri adjiciam palmas; longaque senecta
Nil tardatus agam plantas, atque inter eundum
Oscula mille dabo, patrioque in limine sistam.
Care puer, manibus ne parce insidere nostris,
Neu capitis canos horresce, obductaque longo
Ora supercilio, atque impexæ tegmina barbæ:
Jamque tuo te crede seni, quem nulla vetabunt
Jussa virûm, veterem dominorum agnoscere gentem.
Ille canit; cohibent suspensi murmura venti,
Ingeminant læto resonantes carmine silvæ:
Augurium accipiunt, et juncto numine firmant
Nox placida, et toto clarissima sidera cælo.

VATES AN MUSAM
cum laurea juris sacri et civilis donaretur.

Sat Pindo et antris, sat levibus datum
Ludis; inanem dilue spiritum,
Pimplæa virgo, feriatam
Tolle lyram, fragilemque myrtum.
Jam te sacrorum per juga montium
Forti sequebar pectore, nunc libens
In se recedentem quietis
Consiliis animum resumo.
Me dedicatis postulat arcibus
Astræa vindex, cui Pater annuit,
Tellure jam bellis carente,
In propriam remeare sedem.
Nunc jura et artes, nunc veteris dies
Venæ reducit principe sub Pio;
Nunc pace florentem revisit
Hesperiam, Latiumque felix.
Præstat fluentis munera copiæ
Post se trahentem Justitiam sequi:

Digitized by Google

Quo te, revinctam Musa myrtum
Crine gerens, cytharamque parvam?
Tarpejus olli Juppiter educat
Centum comanti stipite laureas,
Quas rore puro, quas et aptis
Temporibus fovet imbre et aura.
Te nulla tutis indita dos locis
Commendat: æquis auribus obstrepis
Somnos quod invitet, fugacis
Consilium dare docta lymphæ.
Tu separatis devia rupibus
Quæsita roso carmina pollice
Venaris, obluctata leni
Desidiæ, facilique somno.
Non me viarum juverit amplius
Insanus error; ludicra seriis
Mutare, bis denos secutus
Jam propior monet annus annos.
Cur me querelis, callida, cur prece
Tentas solutum? quære juvenculos
Per saxa, per silvas procacem
Ferre pedem comites paratos.

ALOISIO BERTAZZOLIO *mathematico hydraul. ob laureæ honorem ei delatum.*

Per cædes modo, perque horrentia castra secutus
Tela, et equos fueras Palladis armisonæ.
Conversis studiis, nunc te pro fulgure ferri
Circinus, atque habili cum pede norma tenet;
Queis metiris agros, et aquas deducis in amnes,
Ingenio pronas inveniente vias.
Attamen hæc quoque sunt operosæ Palladis arma,
Nec desunt studiis gloria, lausque novis.
Incipe Apollineam fronti præponere laurum,
Dignaque virtutis præmia sume tuæ.
Sic o sic meritis respondeat exitus, ut tu
Clarus ab exculta Pallade semper eris.

Digitized by Google

CAJETANO MANZIERIO *mathesis laurea honestato.*

Quem vitæ comitem omnis, et jocorum,
Atque omnis simul eruditionis
Usque inde a teneris habemus annis
Decorum accipimus virente lauro, et
Primi ducimus ad parentem utrumque.
O quæ deliciæ suaviantûm,
Qui complexus, et ora, quique amores!
Nempe te grave cogitasse primum
Mathesis studium probant, amantque.
Hoc avus, proavusque, et omnis olim
Domus, auspicio bono nepotum,
Magnis non sine laudibus colebant.
Perge, candide amice, nam minores
Exercere patrum decet palæstram:
Perge, candide amice, namque siquid
Veri carmina pervidere possunt,
De te sumpserit integros honores
Et gens, et patria, et parens uterque.

FRANCISCO BORSIO *juris laurea donato.*

O dies nivea et diu cupita!
O dignissima candido lapillo!
Qua tu Felsinea redux ab urbe
Lauro conspicuus tuos penates
Jam tandem repetis, futurus olim
Romani columen, decusque juris.
De te scilicet hoc tui parentes,
Fratresque unanimi, bonique amici
Despondent domui, clientibusque:
Quo dulcis patria ad novos honores,
Et ad lætitias feretur omnes.
Nimirum patria illa, mi venuste,
Quam Padi in medio sinu locatam
Algarumque, et arundinum refertam
Jam mergi, fulicæque diligebant,
Et mali culices, vagæque ranæ,
Et quantum fluit hinc molestiarum;

Digitized by Google

Nunc lætam domino benigniore
Inter vidimus ire civitates,
Et, versa vice temporis vetusti,
In spem surgere civium bonorum.

AD ALOISIUM SALINAM.

Salina, ille vagus, Salina, frater
Meus, plusquam ego sim meus mihi ipse,
Qui te diligit alterum ut parentem,
Et mecum colit optimum ut patronum;
Annos post geminos redux suorum
Quærit Felsineam redire in urbem.
Hunc tu qua potis es benignitate
Libens excipito, et libens foveto:
Rebus præcipue suis juvato
Meum plusquam ego sim meus mihi ipse,
Ut velit pater, et sciat patronus.

AD CHRISTOPHORUM FERRIUM.

Amice, unde hoc, Italiæ quod vivos solo
Non est præterea cur quæramus Italos?
Iste anglicissat, gallicissat hic miser
simili Morem ~~siminimi~~ prosecutus sæculi,
Nil ultra satagens quam referre dominos.
An non præterea inveniemus hîc Italum?
Hunc esse te præ multis novi, et gratulor.

AD ALOISIUM ZABARDUM *rhetorem.*

Quod magnum, Zabarde, mihi promittis amorem,
Dulce est, et vanis gratius officiis:
Talem hunc pro nostra spondemus parte vicissim,
Mansurum ad summam, nam libet, usque diem.
Quem quoniam finem juncto præscribis amori,
O utinam nostri serus uterque cadat,
Atque cadat pariter; vel si quibus insuper annis
Vitam agere alterutri fata secunda dabunt,

v. 2. *civitates.* Per eos dies Pius VII. P. M. Lucum in Æmilia civitatis jure ac nomine decoraverat.

Digitized by Google

Annos vive meos: tu vita vivus amici
Exstinctum ignota morte perire veta.

DE RAVENNA URBE
ad Camillum Spretium.

Qualis eras, veteris servans decora inclyta regni,
Eloquitur multis acta ruina locis.
Qualis ades, vivo me Spretius edocet ore,
Spretius in patrio lux mihi prima solo.
Miror perpetuo fulgentia marmore templa,
Musivum, tabulas, xysta, sepulcra, domos.
Quoque jacet saxo divinus carmine Dantes,
Quoque jacet dulci proxima Galla viro.
Cuncta placent pretio: tamen hoc pretiosius est mî,
Quod fruor hospitio, docte Camille, tuo.

AD SODALES LATINOS
misso carmine latino
in sententiam carminis cujusdam italici.

Quæ dare vix passa est rapidæ inclementia febris
Mittimus ad tenuem carmina fusa lyram.
Scilicet a sociis dudum exspectata Latinis,
Nec tamen in docto digna sonare choro.
Jam qui sponte aliqua versus cum laude dabamus,
Vix italos Latio reddimus ore modos.
Quidquid id est; fessam testatum mittimus artem,
Et raros ægri pectoris igniculos.
Quod nisi concilio nauci stet musa Latino,
Principium optatæ forte salutis erit.

AD DOMINICUM VACCOLINIUM
de italico ejus carmine latine reddito.

Vir Phœbi, cui Castalidum pia turba canenti
Certat Peneja cingere fronde comam,
Jure meum prudens pressit tibi pagina nomen,
Pagina peccati conscia sola mei.
Quid volui demens? fontes inducere cœno,
Miscere et zephyris frigora candidulis.
Tu tamen ingenii prætexis nomine culpam,

Digitized by Google

Solvis et in laudes ora diserta meas.
Non ego, secretæ callens penetralia Cyrrhæ,
Pierio videor vertice digna loqui.
Novi quam longe Phœbo mea discrepet ætas,
Et vox per lucos forte premenda sacros.
Non mihi fas sanctum Musarum insistere limen,
Non Hyblæa mihi mella ministrat apis.
Quorsum abeas sanus? non me stupet excita Pallas
Tentantem Latiæ pectine fila lyræ:
Nec qualem perhibes, in pectore tantus Apollo
Æstuat, aut stimulis mentem animumque quatit.
Ne me igitur magnis indignum laudibus urge:
Ingenio potui si placuisse, tuum est.
Quid jactas Flacci plenum me proluere aurum?
Ferreus a ferro ferrea scripta fero.

JOANNI FOLICALDIO *sacris primum operanti*
VIIII *viri alveis curandis Tiberiaci agentes*
munus sanctum gratulantur.

Huc huc sollertis vis valebat ingenî,
Huc recti studium, et morum suavitas,
Ut sacræ antistes additus militiæ
Dulci probares charitatem patriæ;
Mox (quod spes domus suasit, et virtus tua)
Grande subires ministerium Dei.
Audi, beatæ Virgo pacis opifex,
Quæ tuus hic Joannes amplexus aras,
Tuaque sancta fusus ante numina
Precatur ultro, nobis ut mitissimo
Rebusque nostris consulat proposito.
Ne quidquid amnium est Æmilii ab via
Ad claustra Padi vel Sinnus vel Anemo,
Queis nostra utrinque terminatur ditio,
Turbent adverso revoluti ab aggere:
Neu pluviarum nimia abundent agmina,
Agris, et ipsi infesta Tiberiaco,
Si quando notis revomantur alveis.
Da, bona, tantus quæ sequester impetrat,
Stabitque magna tibi apud nos gratia,

Teque hunc quotannis lætabundi per diem
Thure, et corollis venerabimur hîc novis.

ANTONIO LENSIO
de laudatione s. Vincentii Ferrerii ab eo habita.

Dum qualis, quantusque orbi Vincentius olim
Fulserit insigni subjicis eloquio;
Et tempestates rerum, fœcundaque culpæ
Sæcula, nil memores ire per historias
Digna, refers, validæ pandis nova flumina linguæ,
Pectoraque intentis subripis, atque animos.

AD PHILIPPUM SCHIASSIUM
solatii caussa.

Quod cælum petiere nepotulus alter et alter,
Non est quod doleas, docte Philippe, nimis.
Quippe Deo accitus, superisque adjectus uterque
Munera lætitiæ non peritura tenent.
Exultantque, interque moras, et gaudia sancta,
Vix memorant vitæ deterioris onus.
Quod vivant, quod sic valeant, feliciter ajunt
Esse, immortali conditione pares;
Atque rogant, sibi quos mors abstulit ocyor annos
Rex superûm magno vivere det patruo. (*)

AD EUSTATIEN
solatii caussa in obitu patris.

Qui te jam dulci viduavit conjuge casus,
Idem etiam carum nunc rapit ecce patrem.
Utrumque est miserum: sed iniquæ interrita sorti
Si mentem opponas, non adeo est miserum.

(*) Philippi Schiassii responsio:
Ergo quot puero mors annos dempsit utrique,
Spes mea qui (fateor) dulcis uterque fuit,
Jam longaevus ego, jam contra vota superstes
Vitae et pertaesus sollicitae heu nimium
Tot mihi ut addantur cupiamne rogare nepotes?
Carae animae, patruus postulat imo aliud.
In terris quid enim morer? hic quid inania sector?
Quae procul a vobis sit mihi laetitia?
Ah ferar in caelum! Vos ah super astra revisens,
Vobis divino munere consocier!

Ut penitus deserta tuis, vix amplius optes
  Quidquam aliud, quod non sit dolor, aut lacrimæ;
Est tamen, Eustatie, quo fractis integra vivas
  Rebus adhuc, virtus ni tua deficiat.

Eustatie, faciles in me si figis ocellos,
  Tollor, et effusis depluo carminibus.
Ingenium micat, insuetos dat spiritus æstus,
  Ipsa salebroso gutture lingua fluit.
At si cui blandita a me deflectis ocellos,
  Mens hebet, et trepido pectore flamma cadit.
Hinc te sorte datam accipio, venerorque Camœnam,
  Teque unam musis omnibus antefero.
Oro igitur, ne proposito revolubilis, ulli
  Sis Venus, ut vati sis pia Musa tuo.

DE BIRGITTA FAVA TANARIA
tabulam Rhenianam coloribus ebore illitis referente.

Dum Rhenî ex tabula divinos Birgita vultus
  Pingit, et exiguum contrahit ad modulum,
Tollitur, atque ausu insolito cælestia tentat,
  Nec secus in parvo clauderet orbe polum.
Nempe ut, cælestem recipit quæ corpore formam,
  Ingenio cælum colligat ipsa suo.

De hospitio Lucensi
JOSEPHI ALBANI V. E.
quum Roma Legatus Bononiam proficisceretur.

Dum sacer antiqua senior subsisteret arce,
  Hospitiique moras falleret ante focum,
Protinus ad summum pervasit flamma caminum,
  Intactoque diu lusit hiulca loco.
Si licet augurio famam firmare futuri,
  Flamma monet clarum principis imperium,
Et quo se dederit spectandam culmine virtus,
  Et favor Albani nominis usque comes;
Cum res Felsineas, atque ultima regna capesset,
  Ultima sub domina quæ premit urbe Leo.

Avulsi nempe ut servet vestigia Spinæ, (*)
  Parque eat exemplo laudibus ac meritis.
Eja age venturo de tempore, Felsina, gaude,
  Edita nam Luco est spes tibi certa meo.

VINCENTIO MACCHIO CARDINALI
ad provinciam Æmiliam capessendam progredienti.

Hoc erăt, hoc longa fessi formidine cives
  Supplicibus studiis quod petiere diu:
Ut tandem exciperet melior clementia regnum
  Justitiæ, et miseris tempora læta daret.
Criminibus pulsis, et justa cæde peremptis
  Sontibus, ad placidam progredere Æmiliam:
Imperio solata tuo quæ vulnera claudat,
  Atque aliquid vitæ sentiat esse sibi.
Digna est ut vivat, digna est ut sorte secunda
  Prodeat, a duris pene subacta malis.
Res Latii curent alii, Romanaque fata:
  Laus tua pacatam sit regere Æmiliam.

AD PHILIPPUM AGRICOLAM *pictorem*
de effigie Eustaties.

Pingere quid forma potuisses pulcrius ista?
  Victricem ex Ida fingis, amice, Deam.
Pingendo quidnam duxisses mollius unquam?
  Omnis in hoc uno est corpore juncta Charis.
Doctius hac vivi quid possent ferre colores?
  Hoc Musæ, hoc ipso pectore Pallas inest.
Hic natura viget, splendet sapientia; cuique
  ~~Hinc forma, autem orbis~~ insidiatur Amor.

Artibus hic junctis

AD MEMMIUM QUERCENTEM.

Memmi, blandiloquis aucte sodalibus,
Memmi qui volitas per liquidum æthera,
  Et rumore secundo
    Supra sidera tolleris;
Quis non Mæonium pectore spiritum,
Et venam eloquii divitis, et gravem

(*) *Spinae.* Josephi nempe Spinae V. E. decessoris optime meriti.

Digitized by Google

Sacri carminis artem
Mirari cupidus velit?
Sed quis trans Hyadas, trans et Oriona
Quærentem insolitas ingenio vias
Intercludere amicis
Ausit consiliis? Ego
Ignoscas, moneo, respice sidera,
Ignoscas iterum, sidera respice,
Ut te vatibus ætas
Præsens inserat et nova.

Pastorum missio vespertina.

Vesper adest, et opaca simul cum vespere adest nox:
Mens agitat tectum quærere cuique suum.
Esse domi si me contingeret unquam alienæ,
Captarem baculum, digredererque, meum.
Hoc dictum ne sume tibi; te nempe teneri
Usque licet nostra, pastor amice, domo.
Sed si discedas, me tandem absente, memento,
Virga, moræ ne sit, stat tua pone fores.

Digitized by Google



LUDICRA.

AD JOANNEM ROVERELLAM
de origine et cognomine gentis nostræ.

Scis quantus olim exstiterit Florentiæ
Franciscus ille nobilis Ferruccius,
Quocum sepulta pene jacuit patria
Proditione cum periret impia.
Hujus minores Barbianum adveniunt,
Inventa profugis sedes ima Æmilia,
Ibique agris coemptis instaurant genus,
Nomenque fortuna impari. Inde serius
Ferrucciorum a stirpe gens agricolûm
Ab adjacente propagata Butrio
Luco est palustri constituta a proavo.
Mox cepta passim appellari Ferruzzia
Queis rigor ferri erat origo nominis:
Sed queis detorta parce erat ferocitas,
Cognominata gens fuit Ferruccia.
At nos postremos sequimur feroculi,
Antiqua stirpis ut servetur ratio.

AD MAURITIUM BRIGHENTIUM
in secessu villulæ suæ Caristerianæ otiantem.

Cum viridi serves tua Caristeria septo,
Posthabitis caræ liminibus patriæ,
Novimus: atque ut sit tibi magno, ignave, pudori,
Vulgamus missis hinc quoque versiculis.

Hîc etenim exemptus curis, et surdus amicis
  Jamdudum vacuo corde animoque cubas.
Sic rerum atque hominum securus et integer, ut si
  Quis veniens clausas te vocet ante fores,
Continuo, domini ne quid tuta otia rumpat
  Advigilans, servus te negat esse domi.
Mendax! quisnam alius sternutat, et exscreat intus,
  Ridet et exclusos mente abiisse mala?
Non tamen injusto longúm lætabere ludo;
  Omnia namque ego, circum undique pervolitans,
Questubus implebo, atque ipso sub limine pernox
  Latrabo, te isthinc denique ut eruerim,
Reddiderim et Musis, queis fama indigna locuta est,
  Te citharam et lauros spernere Apollineas.

AD AMICOS *convivii gratia.*

BRUMA natales referente ferias,
  Uno rite nos jungere in triclinio
  Esuriem, et dapes, et cachinnos addecet.
  Noti sodales, liquidique pectoris
  Mentem effundemus omnibus insaniis,
  Ut nox, et vinum, et amicitia jusserint.
  Quod potiori quisque amat libidine
  Sumat patella: non hîc adest vilicus
  Qui ratione instituta jugulet famem.
  Huic mullus sapit, hunc anguilla suscitat,
  Hic rhombo gaudet, cane et hic maritimo,
  Ille nil mutet ostreis uberibus;
  Vesani exsurgite omnes, rapite alteri
  Hoc optantes, et hoc tumultuosius:
  Pudore tardi, licet, impasti abeant.
  Me delicatus detinebit interim
  Mugil bilibris e Cymacli vallibus;
  Porrectum tota quem nisi paropside
  Conficiam omnino, dextrum indignetur latus
  Servare mî puella, cujus gratiam
  Eduli unice mugili antetulerim.

IN DISCESSUM CONSTANTIÆ.

Quin me promissos, Constantia, solvere versus
  Exstimulas nostro cras abitura solo?
Quî poterim junctos constringere carmen in artus,
  Te mentis domina deficiente meæ,
Ipse in te Musas solitus venerarier omnes,
  Atque omnes sine te nusquam habitare putans?
Aptius a mœsto poscantur vate querelæ,
  Aptius ad lacrimas me fugitiva voces.
Quid deceat melius? fidos dum linquis amicos,
  Et relegis positæ gaudia longa moræ.
Nec te perpetuis resolutus nubibus imber,
  Semita corruptæ nec tenet uda viæ.
Dulce ut sit cupido adventum properare parenti,
  Tam lævos abitus nec tamen ipse probet.
Detrectent acti stimulis juga dura veredi;
  Et bibula hærentes stringat arena rotas.
Serius at fortasse voles abiisse, molestos
  Quum madidus rores undique ventus aget.
Hospita et hæc etiam optabis penetralia, cum te
  Accipiet duro nuda taberna toro.
Scilicet hîc dulcis jungetur dextera Costæ;
  Occursu hîc aderit Felsina læta tuo,
Credo equidem! hæc media fingent tibi somnia nocte,
  Dum quatiet querulas aura recepta fores.
O ego quam vellem sublato adsistere risu,
  Cum ruptum referes excita mane latus.
Id bene habet; merito obtingit: quæ jussa manere
  Intempestivæ se dedit ipsa viæ.
Interea dum nos prævisi sorte futuri
  Tendimus ingratum rumpere consilium,
Plurima nutanti stipatur sarcina curru;
  Vixque dato mœstos deseris inde vale.
I dura, i felix: hoc opto impensius, infra
  Augurium noceant ventus et unda tibi:
Ast ego versiculos immota mente negabo,
  Promissa ad reditus rejiciamque tuos.

Digitized by Google

AD CAJETANUM GIORDANIUM
in domum Raphaelis Sanctii quæ Urbini visitur.

Verum est quod humili legimus inscriptum domo,
Hinc ortum habere, Raphaelem hîc Sanctium
Lusisse puerum patriis penetralibus?
At hoc negant quisquiliæ, lotium, situs,
Squalorque sæcularis in parietibus.
Falsum est quod atra legimus inscriptum domo.
Cælo profectus cælum habere patriam
Vult Sanctius referre natus cælites.
Testatur Urbinum ipsum negligentia
Falsum quod humili legimus inscriptum domo.

AD CATELLUM ALOISII SALINÆ.

Salve, delicium mei Salinæ,
Belle, candide, delicate salve,
Ante omnes catulos catelle felix,
Quicumque aut gelidam reliquit Arcton,
Aut solum Hesperiæ cuniculosæ:
Namque uno officio, levique lusu
Fers bellaria mille, fers amores,
Quos qui viderit adpetat, velitque.
Quod si, qua potes adlocutione,
Ambituque, jocoque pertinaci
Testaris domino fidem, famemve
Hærens perpetua suavitate,
Inexplebilis helluo, statim fers
Crustulumque, Arabamque potionem.
Salve, edacior omnibus catellis,
Ante omnes catulos catelle felix.
O Jovem semel esse, vel Catullum
Contingat mihi! nempe, me jubente,
Per cælum novus ignis ambulares;
Lesbiæ neque passeri invideres,
Me dicente tuum, catelle, rictum, et
Dorsi vellera molliora pluma,
Atque item nive puriora summa.

TUMULUS CATULI.

Amores hic, et lusus, et excubiæ
Clauduntur heri parvo canis corpore,
Quem mors invadens vi perussit ignea,
Ut pro fide, pro jocis, et amoribus
Mœrores atros invida reponeret.

JOLAUS IN HELICEN.

Hæc illa est Helice qua vitam conjuge junxi
Sponte mea, frugi, casta domique sedens:
Cæruleis oculis et flavo vertice tota
Candida, Leucadii quám cava saxa maris.
Nunc dormit; me cum dormit dixisse beatum
Non dubitem, tanta tunc ego pace fruor.
Ne tamen excutias somnum, namque acta furore
Quæret anhelanti pectore dissidia,
Qualia Tisiphone ciet, aut violenta Megera,
Cum furit in thalamis utraque inulta suis.

DE ACCA *anu litigante.*

Acca Truentino procerum sata sanguine magnis
Jamdudum exercet litibus omne forum,
Deberi sibi quod bona dicat non modo avita,
Verum et avi titulos, et decora, et tumulum.
Quo res jure cadent vis scire? voraverit Accam
Cum titulis tumulus, sed bona causidicus.

HORA AD JAELEM.

Invitum tibi me, Jael, rapit hora; ferendo
Hæc eadem mihi te reddet, utrique fugax.
Hora fugit, caris seu visa est dulcis amicis,
Sive dato visa est tristis adesse vale.
Hora fugit; seu quis vita feliciter usus
Continuat lætos nocte dieque jocos:
Seu quis inops agitur fortuna pulsus acerba,
Et dolet immotas illius esse vices.
Hanc votis virgo accelerat studiosa mariti,
Hanc trepidis precibus frigida tardat anus.

Digitized by Google

Interea ambabus fugit irrevocabilis hora;
  Hæc desiderio tabuit, hæc senio.
Hora fugit nautis cursus frustrata secundos;
  Gaudet et ignavos fallere in arma duces.
Ast eadem dulci tollit spe credita victos,
  Atque eadem portu condit amica rates.
Omnibus æqua ruit mortalibus hora: quid ergo est
  Felicem quod ames, aut doleas miseram?

TUMULUS AMANTIS.

Qui jacet hîc vitam sibi conscius eripuit, quod
  Respondit votis sat male durus amor.

IN MULIERES.

A mulis dictas quis neget mulieres?
  Mulierum ut mulorum est pervicacia.

TUMULUS BALLI
quem vernacule regem coturnicum *appellant*.

Siste, auras quæcumque secas, heus siste, coturnix,
  Et tumulum regis noscere disce tui.
Hîc fervente jacet plumbo dejectus, et omnes
  Ista coturnices fata manere monet.

TUMULUS TURTURIS.

Dum comite amissa gemit insolabile turtur,
  Et vaga per totam vertitur acta domum,
Valvarum obverso jacuit sub cardine, aquatum
  Quá ruit heu celeri nixa puella pede.
Ipse animam dominus luctantem limite vitæ
  Solvit, et hunc tumuli mox dedit esse locum.

MUS CAPTUS.

Qui vitam potui minima tolerare farina
  Subducens magno quottidie a cumulo,
Muscipulas centum lusi, felesque sequaces,
  Abstinuit rapidas dum mihi Lepta manus.
Sospes ab insidiis, sed pugna captus aperta,
  Compede nunc tereti distrahor a puero.

